B. 7. 16. 796

CHARTÆ et STATUTA
COLLEGII
SACROSANCTÆ et INDIVIDUÆ
TRINITATIS.
REGINÆ ELIZABETHÆ,
juxta DUBLIN.



DUBLINII
ACADEMIÆ Impensis excudebat,
GULIELMUS HALLHEAD, in vico dicto *Dame-Street*.

MDCC LXXVIII.

ELENCHUS CAPITUM.

Pag.

CHARTA, ſive Literæ patentes R. Elizabethæ 1

Charta, ſive Literæ patentes R. Caroli primi 14

Procemium Statutorum R. Caroli primi 41

CAP. 1. De Numero Membrorum Collegii 43

CAP. 2. De Qualitate et Officio Præpoſiti 44

CAP. 3. Juramentum Præpoſiti 47

CAP. 4. De Authoritate Præpoſiti et ſeptem Sociorum Seniorum 49

CAP. 5. De Scholaribus ſive Diſcipulis 51

CAP. 6. Juramentum Diſcipuli 54

CAP. 7. De Sociorum Juniorum Electione 55

CAP. 8. Juramentum Socii 60

CAP. 9. De Cultu divino 62

CAP. 10 De Tutorum, ac Pupillorum Officio 71

CAP. 11. De Morum Honeſtate colendâ, itemque de tuendâ Collegii Exiſtimatione publicâ 75

ELENCHUS CAPITUM.

Pag.

CAP. 12. De Officio Vicepræpoſiti 82

CAP. 13. De Officio Decanorum 84

CAP. 14. De Primario Lectore, et Sublectoribus 89

CAP. 15. De Claſſium Scholaſticis Exercitiis 92

CAP. 16. De Baccalaureorum et Magiſtrorum Exercitiis 97

CAP. 17. De terminis obſervandis, et de examinando Scholarium in Diſciplinis Progreſſu 102

CAP. 18. De admittendis in Collegium Profeſſionibus Juriſprudentiæ, et Medicinæ 104

CAP. 19. De Burſarii Officio 106

CAP. 20. De tutâ Rerum Cuſtodiâ, et Bibliothecario 113

CAP. 21. De Sociorum, et Scholarium Numero, Commeatu, Salariis, et Cubiculis 118

CAP. 22 De Abſentiâ Sociorum, et Scholarium 122

CAP. 23. De Pœnis majorum Criminum, Mulctiſque aut exigendis, aut commutandis. 127

CAP.

ELENCHUS CAPITUM.

Pag.

CAP. 24. De inferioribus Collegii Miniſtris. 131

CAP. 25. De Electionum Formâ, et Tempore 134

CAP. 26. De finali Computo; et Electione Officiariorum, et Prælectorum 140

CAP. 27. De Concluſione Statutorum 142

Literæ patentes R, Caroli primi quibus Librum Statutorum affigi mandavit 149

Litteræ patentes R. Georgii ſecundi de Bibliothecâ, et De Cultu divino in Dominicis quadrageſimalibus 155

Procemium Statutorum de Bibliothecâ Ibid.

CAP. 1. De Bibliothecario 157

CAP. 2. De Libris aliiſque Rebus in Bibliothecâ repoſitis, et reponendis 163

CAP. 3. De iis qui in Bibliothecam ad Uſum Librorum admittantur, et eorum Juramento 165

Concluſio 170

STATUTUM. De Cultu divino in Dominicis quadrageſimalibus 173

Statutum de PROFESSORIBUS, &c.

Procemium Statutorum de Profeſſoribus &c. 177

CAP.

ELENCHUS CAPITUM

Pag.

CAP. 1. De Profeſſore in ſacrâ Theologiâ 178
CAP. 2. De Profeſſore Juris feudalis atque Anglici 182
CAP. 3. Statutum De Profeſſoribus tam ſacræ Theologiæ quam Juris feudalis atque Anglici 186
CAP 4. De Profeſſore Linguæ græcæ 190
CAP. 5. De admittendâ in Collegium Profeſſione Juris Anglici 191
CAP. 6. De quibuſdam in Statutis mutandis 192

REGULÆ UNIVERSITATIS DUBLINIENSIS.

CAP. 1. De Authoritate et Officio Vice-Cancellarij 197
CAP. 2. De Capite Senatûs Academici 199
CAP. 3 De Procuratorum Officio 200
CAP. 4. De Gratiis concedendis per Academiam 201
CAP. 5. De ordine obſervando in Domo Congregationis 202
Admiſſio ad Gradum Baccalaureatûs in Artibus 203
Admiſſio ad Gradum Magiſterii in Artibus ibid
Admiſſio ad Gradum Bacalaureatûs in Theologiâ ibid

Admiſſio

ELENCUS CAPITUM.

Pag.

Admiſſio ad Gradum Doctoratûs in Theologiâ 204
Admiſſio ad Gradum Baccalaureatûs in utroque Jure ibid
Admiſſio ad Gradum Doctoratûs in utroque Jure ibid
Admiſſio ad Gradum Baccalaureatûs in Medicinâ 205
Admiſſio ad Gradum Doctoratûs in Medicinâ ibid
Cap. 6. De Exercitiis præſtandis pro Gradu Baccalaureatûs in Artibus ibid
Cap. 7. De Exercitiis præſtandis pro Gradu Magiſterii in Artibus 206
Cap. 8 De Exercitiis præſtandis pro Gradu Baccalaureatûs et Doctoratûs in Theologiâ; deque aliis ad eoſdem Gradus requiſitis 207
Cap. 9. De Gradibus in utroque Jure capeſſendis 209
Cap. 10. De Gradibus in Medicinâ capeſſendis 211
Cap. 11. De Die celebrandi Comitia 212
Formula Supplicandi pro Gradû Magiſterij in Artibus 213
Pro Gradu Doctoratûs in Theologiâ ibid.

ELENCUS CAPITUM.

Pag.

Formula ſupplicandi pro Gradu Baccalaureatus in Artibus 214
Pro Gradu Magiſterij in Artibus ibid.
Pro Gradu Doctoratus in S. Theologiâ ibid.
Pro Gradu Baccalaureatûs in S. Theologia 215
Pro Gradu Baccalaureatûs in Medicinâ ibid.
Pro Doctoratu in Medicinâ 217
Pro Gradibus Juris-prudentiæ et Muſicæ 218
Formula Suſpenſionis nondum Graduati 219
Formula Suſpenſionis Graduati ibid.
Formula Abſolutionis ibid.
Præſentationis Formula 220
Juramenta et Declaratio Suſcipienda a quolibet Candidato priuſquam admittatur ad Gradum capeſſendum 221

CHARTA,

SIVE

LITERÆ PATENTES, &c.

REGINÆ ELIZABETHÆ.

ELIZABETHA Dei Gratiâ Angliæ, Franciæ, et Hiberniæ Regina, Fidei Defensor, &c. Omnibus ad quos præsentes Literæ pervenerint Salutem. Cum dilectus Subditus noster HENRICUS USSHER Archidiaconus Dublinienſis Nobis humilitèr ſupplicavit, nomine Civitatis Dublinienſis, pro eo quod nullum Collegium pro Scholaribus in bonis Literis et Artibus erudiendis infra Regnum noſtrum

Hiberniæ adhuc exiſtit ; ut unum Collegium Matrem Univerſitatis juxta Civitatem Dublin ad meliorem educationem, inſtitutionem, et inſtructionem Scholarium et Studentium in Regno noſtro prædicto erigere, fundare, et ſtabilire dignaremur : Ac etiam ut aliquo modo commode provideretur pro relevamine et ſuſtentatione Præpoſiti, Sociorum, et Scholarium quorundam : SCIATIS quod Nos pro eâ Curâ, quam de Juventute Regni noſtri Hiberniæ piè et liberaliter inſtituendâ ſingularem habemus, ac pro benevolentiâ quâ Studia, Studioſoſque proſequimur (ut eo melius ad bonas artes percipiendas, colendamque virtutem et religionem adjuventur) huic piæ Petitioni gratioſè annuentes, de Gratiâ noſtrâ ſpeciali, ac ex certâ Scientiâ, et mero Motu noſtris Volumus, Concedimus, et Ordinamus, pro Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris ; Quod de cætero ſit, et erit, unum Collegium Mater Univerſitatis in quodam loco vocato Allhallowes juxta Dublin prædictum, pro educatione, inſtitutione, et inſtructione Juvenum, et Studentium in Artibus et Facultatibus, perpetuis futuris temporibus

poribus duraturum, et quod erit, et vocabitur COLLEGIUM SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS JUXTA DUBLIN A SERENISSIMA REGINA ELIZABETHA FUNDATUM. Ac Collegium illud de uno Præpoſito, et tribus Sociis nomine plurium, et de tribus Scholaribus nomine plurium, in perpetuum continuaturum erigimus, ordinamus, creamus, fundamus, et ſtabilimus firmitèr per præſentes.

AC VOLUMUS primum et modernum Præpoſitum prædicti Collegii ſanctæ et individuæ Trinitatis Elizabethæ Reginæ juxta Dublin prædictum facimus, ordinamus, conſtituimus et licenciamus, ADAMUM LOFTUS ſacræ Theologiæ Doctorem, Archiepiſcopum Dublinienſem, Regni noſtri Hiberniæ Cancellarium. Et primos et modernos Socios ibidem facimus, licenciamus, conſtituimus, et ordinamus, HENRICUM USSHER in Artibus Magiſtrum, LUCAM CHALLONER in Artibus Magiſtrum, et LANCELLOT MOINE in Artibus Baccalaureum, per præſentes nomine plurium. Et primos et modernos Scholares HENRICUM LEE, WILHEL-

MUM DANIELL, et STEPHANUM WHITE, nomine plurium ibidem facimus, licenciamus, conſtituimus, et ordinamus per præſentes.

ET VOLUMUS de ampliori Gratiâ noſtrâ ſpeciali, et ex certâ Scientiâ, et mero Motu noſtris, volumus, ordinamus, concedimus, et ſtabilimus, per præſentes, pro Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris, quod prædictus Præpoſitus, Socii, et Scholares Collegii Trinitatis prædicti, et eorum Succeſſores in re, facto, et nomine, de cætero ſunt, et erunt, unum Corpus corporatum et politicum, de, ac in, perpetuum, incorporatum et erectum, per nomen Præpoſiti, Sociorum, et Scholarium Collegii ſanctæ Trinitatis Elizabethæ Reginæ juxta Dublin, quodque per idem Nomen perpetuis futuris temporibus cognoſcentur, vocabuntur, apellabuntur, et nominabuntur, habeantque ſucceſſionem perpetuam, ac ipſum Præpoſitum, Socios, Scholares, et Succeſſores, ſive Præpoſitos, Socios, Scholares Collegii ſanctæ et individuæ Trinitatis Elizabethæ

zabethæ Reginæ juxta Dublin incorporamus, ac unum Corpus corporatum et politicum, per idem Nomen in perpetuum duraturum, realitèr et ad plenum creamus, erigimus, ordinamus, facimus, conſtituimus, et ſtabilimus firmitèr per præſentes.

ET UT Intentio noſtra prædicta meliorem obtineat effectum, ac ut Bona, Catalla, Terras, Tenementa, Hæreditamenta, Redditus, Renditiones, Servitia, et omnia alia, et ſingula Proficua, ad ſuſtentationem et relevamen Præpoſiti, Sociorum, et Scholarium ejuſdem Collegii, in perpetuum poſſideant, et ut melius gubernentur, et pro continuatione ejuſdem Collegii, volumus, concedimus, ordinamus, et decernimus, pro Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris, per præſentes; Quod quandocunque, et quotieſcunque contigerit aliquem Præpoſitum ullo Modo amoveri vel deeſſe, Morte, Deceſſu, Reſignatione, Deprivatione, vel aliquo alio modo, quod tùnc et deincèps liceat, et licebit prædictis Sociis, et eorum Succeſſoribus, ad tunc ſuperviventibus, vel majori

parti eorundem, Præpoſitum idoneum aliquem eligere, et nominare, infra tres menſes tunc proxime ſequentes. Et eodem modo, ſi contigerit prædictorum Sociorum et Scholarium aliquem ullo modo deeſſe, aut amoveri, Morte, Deceſſu, Reſignatione, Deprivatione, vel alio quovis modo, quod tùnc et deincèps bene liceat, et licebit Præpoſito cæteriſque Sociis, vel eorum Succeſſoribus ad tunc ſuperviventibus, vel majori parti eorundem, aliam idoneam Perſonam, vel alias idoneas Perſonas, in locum vel locos, prædicti Socii vel Scholaris, Sociorum vel Scholarium, eligere, nominare. et conſtituere, infra duos menſes proxime pòſt ſequentes, et ſic, de tempore in tempus, totiès quotiès Mors, Deceſſus, Reſignatio, vel Deprivatio, contigerit. Quodque eorum quilibet ſic, de tempore in tempus electus, habeat et gaudeat, et habere et gaudere valeat, et poſſit, adeo plenam et liberam poteſtatem et authoritatem in omnibus, et per omnia, et ad omnia, et ſingula, agenda, perimplenda, et exigenda, prout aliquis alius Sociorum

prædicti

prædicti Collegii, quovis modo, habere, ſeu gaudere debeat, aut poſſit. Et quod ipſi, et Succeſſores ſui, per nomen Præpoſiti, Sociorum, et Scholarium, Collegii ſanctæ et individuæ Trinitatis Elizabethæ Reginæ juxta Dublin, ſint, et erunt, Perſonæ habiles, aptæ, et in lege capaces, ad perquirendum, habendum, percipiendum, recipiendum, et poſſidendum Maneria, Terras, Tenementa, et Hæreditamenta quæcunque, Sibi, et Succeſſoribus ſuis in perpetuum, (ita quod non teneantur de Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris, immediatè in Capite, in Dominico, vel Servitio) tam de Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris, quàm de aliquâ aliâ Perſonâ, vel Perſonis quibuſcunque, ad ſuſtentationem et manutentionem prædicti Collegii, ad Relevamen et Suſtentationem Præpoſiti, Sociorum et Scholarium prædicti Collegii.

ET VOLUMUS de uberiori Gratiâ noſtrâ, certâ Scientiâ, et mero Motu noſtris, concedimus, et Licentiam damus, pro Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris, prædictis Præpoſito, Sociis, et Scholaribus, et eorum

eorum Succeſſoribus, quod ipſi, et Succeſſores ſui poſſint, et valeant, perquirere, habere, recipere, percipere, et poſſidere, per Nomen Præpoſiti, Sociorum, et Scholarium Collegii ſanctæ et individuæ Trinitatis Elizabethæ Reginæ juxta Dublin, Maneria, Terras, Tenementa, et Hæreditamenta quæcunque, et cujuſcunque ſint naturæ, generis, et ſpeciei, annui Valoris quadringenta Librarum currentis Monetæ Angliæ, ultra Onera, et Repriſas, ad proprium opus, et uſum prædictorum Præpoſiti, Sociorum, Scholarium, et Succeſſorum ſuorum, Statutis de Terris et Tenementis ad Manum mortuam ponendis, aliquo modo non obſtantibus. Quodque per idem Nomen proſequi, placitare et placitari, defendere ac defendi, reſpondere et reſponderi, poſſint, et valeant, omnibus Cauſis, Querelis, Actionibus realibus, perſonalibus, et mixtis, in omnibus Curiis, tam temporalibus, quam ſpiritualibus, infra Regnum noſtrum Hiberniæ, vel alibi; et ad ea, ac ad omnia, et ſingula, facienda, agenda, et percipienda, prout, et in eodem modo, quo cæteri Ligæi noſtri Perſonæ habiles

biles, et in lege capaces, infra idem Regnum noſtrum Hiberniæ, vel alibi, faciunt, et facere poterint, in omnibus Locis et Curiis prædictis, et coram omnibus Juſticiariis, et Judicibus noſtris, vel eorum aliquibus.

ET ULTERIUS volumus, et ordinamus, ac pro Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris, per præſentes concedimus præfatis Præpoſito, Sociis, et Succeſſoribus ſuis; Quod ipſi, de cætero in perpetuum, habeant commune Sigillum, ad negotia ſua, juxta tenorem et veram intentionem harum Literarum noſtrarum patentium, deſerviturum; prout Præpoſito, et majori Parti Sociorum viſum fuerit. Inſuper concedimus, et licenciamus, Præpoſito, et Sociis ejuſdem Collegii, ut Leges, Statuta, et Ordinationes, pro ſuo Collegio piè et fidelitèr gubernando, de tempore in tempus, in perpetuum faciant, conſtituant, et confirment: Et ut quaſcunque bene conſtitutas ſenſirint in alterutrâ noſtrâ Academiâ Cantabrigienſi, aut Oxonienſi, modo ſibi aptas, et accommodas judicaverint, inter Se ſtabiliant. Et præſertim ne Artes liberales quiſpiam ullis aliis in locis

publicè

publicè profiteatur, aut edoceat, intra Regni noſtri Hiberniæ limites, ſine Licentiâ noſtrâ ſpeciali.

ET CUM Gradus quoſdam in Artibus et Facultatibus conſtitui Literis fuiſſe adjumento compertum ſit, ordinamus per præſentes, ut Studioſi in hoc Collegio ſanctæ et individuæ Trinitatis Elizabethæ Reginæ juxta Dublin Libertatem et Facultatem habeant, Gradus tum Baccalaureatûs, Magiſterii, et Doctoratûs, intra Tempus idoneum, in omnibus Artibus et Facultatibus obtinendi. Hoc ſemper interim proviſo, ut cum hujus Collegii Socii ſeptem integros Annos poſt Gradum Magiſterii ibi aſſumptum adimpleverint, tum è Sociorum Numero amoveantur, ut alii in eorum Locum ſuffecti, pro hujus Regni et Eccleſiæ beneficio, emolumentum habeant; et ut intra ſe pro hujuſmodi Gradibus aſſequendis habeant libertatem omnia Acta, et Scholaſtica Exercitia adimplendi, quemadmodum Præpoſito, et majori Parti Sociorum viſum fuerit: Ac ut omnes Perſonas, pro hujuſmodi rebus melius promovendis, eligere, creare, nominare, et ordi-

nare

nare poſſint, ſive ſit Procancellarius, Procurator, aut Procuratores (nam Cancelarii Dignitatem honoratiſſimo et fideliſſimo Conſiliario noſtro, Gulielmo Cecillio, Domino de Burghley, totius Angliæ Theſaurario, delegatam approbamus) et ut poſthac idoneam hujuſmodi Perſonam, cum defuerit, pro hujus Collegii Cancellario, Præpoſitus, et major Pars Sociorum eligant, ordinamus.

QUI Cancellarius, vel etiam Procancelarius, cum Archiepiſcopo Dublinie ſi, Epiſcopo Midenſi, Vicetheſaurario, Theſaurario ad Guerras, et Capitali Juſticiario Capitalis Placæ noſtræ infra hoc Regnum noſtrum Hiberniæ, Majori Civitatis Dublinienſis, pro Tempore exiſtentibus, vel majori eorum parte, qui vocabuntur VISITATORES, omnes Lites, Actiones, et Controverſias (quas Præpoſitus, et major Pars Sociorum non poſſint componere) dirimant, et definiant: Et quod omnia graviora Delicta ab ipſo Præpoſito, et Sociis non emendata, animadvertant.

DENIQUE ſtatuimus, et ordinamus, pro eâ Gratiâ quâ Studia, et Studioſos proſequimur,

ſequimur, ut quicquid adjumenti ad hoc Collegium conſtituendum, et conſervandum præſtari poſſit â noſtris Subditis, et Officiariis, ut illud bonâ cum veniâ et authoritate noſtrâ, præbeant, et adminiſtrent: Et quod omnia Bona, Catalla, Res, Terræ, Tenementa, Hæreditamenta, ad Præpoſitum, Socios et Scholares dicti Collegii pertinentia, ſint, de tempore in tempus, totis futuris temporibus, ab omni Onere, Taxis, Tallagiis, Ceſſis, Subſidiis, Exactionibus, Compoſitionibus, vel Demandis quibuſcunque, libera et exonerata, tam tempore Guerræ, quàm tempore Pacis, Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris, aliquo modo, ratione Prærogativæ noſtræ, vel aliter, debitis vel poſtulandis: Aliquo Statuto, Actu, Ordinatione, Proclamatione, Reſtrictione, Conſuetudine, Uſu, Lege, Præſcriptione, vel aliquâ aliâ Re, Cauſâ, vel Materiâ quâcunque in contrarium præmiſſorum in aliquo non obſtantibus. IN CUJUS Rei Teſtimonium has Literas noſtras fieri fecimus patentes, TESTE perdilecto et fideli Conciliario noſtro WILHELMO FITZ-WILLIAM

LIAM Milite, Deputato noſtro Generali Regni noſtri Hiberniæ. Apud Dublin tertio Die Martii Anno Regni noſtri triceſimo quarto.

PHILLIPPS.

IRROT. in Rotulo patentium Cancellariæ Hiberniæ, decimo quarto Die Novembris, Anno Regni Dominæ noſtræ Elizabethæ Dei Gratiâ Angliæ, Franciæ et Hiberniæ Reginæ, Fidei Defenſoris, &c. triceſimo ſeptimo: per Me Jacob Newman Cl. Anthonio Sent-leger Militi, Magiſtro Rotulorum Curiæ Cancellariæ Hiberniæ prædictæ.

CHARTA,

SIVE

LITERÆ PATENTES, &c.

CAROLI I.

CAROLUS Dei Gratiâ, Angliæ, Scotiæ, Franciæ, et Hiberniæ Rex, Fidei Defenſor, &c. Omnibus ad quos præſentes Literæ noſtræ pervenerint, Salutem. Cum Domina Elizabetha nuper Regina Angliæ per Literas ſuas patentes, ſub magno Sigillo ſuo Hiberniæ confectas, gerentes Datum apud Dublin tertio die Martii, anno Regni ſui triceſimo

triceſimo quarto, pro eâ curâ quam de Juventute Regni ſui Hiberniæ piè et liberalitèr inſtituendâ ſingularem tunc habuit, ac pro benevolentiâ quâ ſtudioſos tunc proſecuta fuit, ut eò melius ad bonas Artes percipiendas, colendamque Virtutem et Religionem adjuvarentur; de Gratiâ ſuâ ſpeciali, ac ex certâ Scientiâ, et mero Motu ſuis, voluerit, conceſſerit, et ordinaverit, pro Se, Hæredibus, et Succeſſoribus ſuis; Quod deinceps eſſet unum Collegium Mater Univerſitatis, in quodam Loco vocato Allhallowes juxta Dublin prædictum, pro educatione, inſtitutione, et inſtructione Juventutis, et Studentium in Artibus, et Facultatibus, perpetuis futuris temporibus duraturum. Et quod eſſet, et vocaretur, COLLEGIUM SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS JUXTA DUBLIN A SERENISSIMA REGINA ELIZABETHA FUNDATUM: Ac illud Collegium de uno Præpoſito, et de tribus Sociis nomine plurium, et de tribus Scholaribus nomine plurium, in perpetuum continuaturum erexerit, ordinaverit, creaverit, fundaverit, et ſtabiliverit firmitèr per eaſdem ſuas Literas Patentes.

ET ULTERIUS eadem nuper Regina de ampliori Gratiâ ſuâ ſpeciali, ac ex certâ Scientiâ et mero Motu ſuis, voluerit, ordinaverit, conſtituerit, et ſtabiliverit, pro Se, Hæredibus, et Succeſſoribus ſuis, per eaſdem Literas ſuas patentes: Quod prædicti Præpoſitus, Socii, et Scholares Collegii prædicti, et eorum Succeſſores, in Re, Facto, et Nomine, deinceps eſſent unum Corpus corporatum et politicum de ſe, in perpetuum incorporatum et erectum per Nomen PRÆPOSITI, SOCIORUM, ET SCHOLARIUM COLLEGII SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS ELIZABETHÆ REGINÆ JUXTA DUBLIN: Quodque per idem Nomen perpetuis Temporibus cognoſcerentur, vocarentur, appellarentur, et nominarentur, haberentque Succeſſionem perpetuam, ac ipſos Præpoſitum, Socios, et Scholares Collegii ſanctæ et individuæ Trinitatis Elizabethæ Reginæ juxta Dublin incorporaverit, ac unum Corpus corporatum et politicum, per idem Nomen in perpetuum duraturum realitèr ad plenum creaverit, erexerit, ordinaverit, fecerit,

fecerit, conſtituerit, et ſtabiliverit firmitèr per eaſdem Literas ſuas patentes: Et quod ipſi et Succeſſores ſui per Nomen Præpoſiti, Sociorum, et Scholarium Collegii ſanctæ et individuæ Trinitatis Elizabethæ Reginæ juxta Dublin, eſſent Perſonæ habiles, aptæ, et in Lege capaces, ad perquirendum, habendum, percipiendum, recipiendum et poſſidendum, Manneria, Terras, Tenementa, et Hæreditamenta quæcunque, Sibi, et Succeſſoribus ſuis in perpetuum (ita quod non tenebantur de eâdem Reginâ, Hæredibus, et Succeſſoribus ſuis immediate in Capite, in Dominico, vel in Servitio) tam de eâdem nuper Reginâ, Hæredibus et Succeſſoribus ſuis, quam de aliquâ aliâ Perſonâ, vel Perſonis quibuſcunque, ad ſuſtentationem, et manutentionem prædicti Collegii, et ad relevamen, et ſuſtentationem Præpoſiti, Sociorum, et Scholarium prædicti Collegii: Quodque per Nomen prædictum proſequi, placitare et placitari, defendere et defendi, reſpondere et reſponderi, poſſent, et valerent, in omnibus, et ſingulis Cauſis, Querelis, Actionibus realibus, perſonalibus, et mixtis,

in omnibus Curiis, tam temporalibus, quam ſpiritualibus, infra dictum Regnum Hiberniæ, vel alibi, ac ad ea, et omnia, et ſingula alia agenda, facienda, et recipienda, prout, et in eodem modo, quo cæteri Ligæi ejuſdem nuper Reginæ Perſonæ habiles et in Lege capaces, infra idem Regnum Hiberniæ, vel alibi, tunc fecerint, vel facere poſſent, in omnibus Locis et Curiis prædictis, et coram omnibus Juſticiarijs, et Judicibus, vel eorum aliquibus.

ET ULTERIUS eadem nuper Regina per dictas Literas ſuas patentes, voluerit, et ordinaverit, ac pro Se, Hæredibus, et Succeſſoribus ſuis, conceſſerit præfatis Præpoſito, Sociis, et Scholaribus, et Succeſſoribus ſuis; Quod ipſi de cætero in perpetuum haberent commune Sigillum, ad Negotia ſua juxta tenorem, et veram intentionem dictarum Literarum patentium ejuſdem nuper Reginæ, deſerviturum, prout Præpoſito, et majori Parti Sociorum viſum foret: Conceſſerit inſupèr, ac Licentiam dederit eadem nuper Regina per eaſdem Literas ſuas patentes,

tes, præfatis Præpoſito, et Sociis ejuſdem Collegii, ut Leges, Statuta, et Ordinationes infra ſe ſtabilirent, ac (inter alia) præſertim ne Artes Liberales quiſpiam ullis aliis in Locis publicè profiteretur, aut edoceret inter Regni Hiberniæ limites, ſine Licentiâ ejuſdem nuper Reginæ ſpeciali.

ET cum Gradus quoſdam in Artibus, et Facultatibus conſtitui, Literis fuiſſe adjumento compertum ſit, eadem nuper Regina per eaſdem Literas ſuas Patentes ordinaverit, ut Studioſi in eodem Collegio ſanctæ et individuæ Trinitatis Elizabethæ Reginæ juxta Dublin, Libertatem et Facultatem haberent Gradus tum Baccalaureatûs, Magiſterii, et Doctoratûs, juxta tempus idoneum, in omnibus Artibus et Facultatibus obtinendi; et, ut intra Se, pro hujuſmodi Gradibus aſſequendis haberent Libertatem omnia Acta et Scholaſtica Exercitia adimplendi; quemadmodum Præpoſito, et majori parti Sociorum viſum foret; prout per eaſdem Literas patentes inter alia plenius apparet.

NOS præmiſſa omnia, et ſingula ſuperius

rius recitata, cum Alterationibus, Acceſſionibus, et Declarationibus inferius in his Præſentibus expreſſis, approbantes, et in omnibus rata et grata habentes, eadem pro Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris, præfatis Præpoſito, Sociis, et Scholaribus, et Succeſſoribus ſuis, ratificamus, et ad plenum confirmamus per præſentes.

CUM vero eadem nuper Regina per eaſdem Literas ſuas patentes ordinaverit, ut ſtudioſi in dicto Collegio Libertatem et Facultatem haberent Gradus, tum Baccalaureatûs, Magiſterij, et Doctoratûs, juxta Tempus idoneum, in omnibus Artibus et Facultatibus obtinendi, hoc interim ſemper proviſo, ut cum hujus Collegii Socii ſeptem integros Annos poſt Gradum Magiſterii aſſumptum adimpleverint, tunc è Sociorum Numero amoverentur, ut alii in eorum locum ſuffecti pro ejuſdem Regni et Eccleſiæ beneficio emolumenta haberent: Nos, dictam Proviſionem, utpote inimicam non ſolum ſtudioſis, et Collegio; ſed revera Regno etiam, et Eccleſiæ; cum Conſenſu prædictorum Præpoſiti, Sociorum,

et

et Scholarium tolli volentes, prædictam Libertatem obtinendi Gradus in omnibus Facultatibus Authoritate noſtrâ Regiâ ſtudioſis Collegij prædicti pro tempore exiſtentibus, abſolutè, abſque hâc Proviſione, eiſdem Præpoſito, Socijs, et Scholaribus, et Succeſſoribus ſuis, pro Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris confirmamus per præſentes.

CUMQUE eadem nuper Regina per eaſdem Literas ſuas patentes conceſſerit, et Licentiam dederit, præfatis Præpoſito, et Sociis ejuſdem Collegii, ut Leges, Statuta, et Ordinationes pro ſuo Collegio piè et fidelitèr gubernando, de tempore in tempus, in perpetuum facerent, conſtituerent, et confirmarent: Et ut quaſcunque Leges bene conſtitutas cenſerent in alterutrâ Academiâ Cantabrigienſi, aut Oxonienſi, modò ſibi aptas et accommodas judicarent, intra ſe ſtabilirent: Nos hanc Poteſtatem, Statuta et Ordinationes condendi et conſtituendi præfatis Præpoſito et Sociis prædicti Collegii, ut præfertur, prius conceſſam, cum Aſſenſu et Conſenſu eorundem Præpoſiti, Sociorum, et Scholarium, Nobiſmet ipſis, Hæredibus, et Succeſſoribus

ceſſoribus noſtris modo reſervari et continuari volumus in perpetuum.

CUMQUE Præpoſitus, & Socii tunc exiſtentes juxta Poteſtatem ſibi ipſis conceſſam à Reginâ nuper Elizabethâ Corpus Statutorum pro regimine Collegii confecerint, et intra ſe conſtabiliverint; quæ Statuta jam vim obtinent in Collegio: Ac modo compertum ſit, prædicta Statuta non ſatis accommoda fuiſſe, nec eſſe ad bonum regimen dicti Collegii: Nos igitur, eadem Statuta ex Aſſenſu prædictorum Præpoſiti, Sociorum, et Scholarium dicti Collegij, in, et per omnia annullari volumus, et declaramus per præſentes; niſi quod Augmentationem factam Sociorum Collegii a tribus ad ſexdecem, et Scholarium ejuſdem Collegii a tribus ad ſeptuaginta, et Diſtinctionem prædictorum ſexdecem Sociorum in ſeptem Seniores Socios et novem Juniores Socios, et Regimen Collegii concreditum Præpoſito et majori parti Sociorum Seniorum tantummodo pro tempore exiſtentium, Virtute eorundem Statutorum prædictorum præfatis Præpoſito, Sociis, et Scholaribus dicti Collegii, et Succeſſoribus ſuis pro

Nobis

Nobis Hæredibus et Succeſſoribus noſtris ratificamus et confirmamus per præſentes.

QUONIAM vero nulla Societas abſque Statutis pro eâdem piè et fidelitèr gubernandâ diu conſiſtere poſſit: Igitur Nos ex Gratiâ noſtrâ ſpeciali Statuta prædicta, recenſenda mandavimus, et eadem ſic caſtigata et in formam redacta, uti jam videre eſt, Manu noſtrâ Regali ſignata, Authoritate Regiâ munimus: Mandantes prædictis Præpoſito, Sociis, et Scholaribus dicti Collegii, et Succeſſoribus, ſuis hiſce Statutis noſtris, et non aliis, per omne ævum obedire, niſi pro temporum ratione viſum erit nobis, Hæredibus, vel Succeſſoribus noſtris, aliquid adjicere, tollere, vel mutare, aut in aliquibus diſpenſare, non obſtantibus hiſce Statutis noſtris. Et idcircò volumus, et ulterius mandamus, ut ſtatim poſt receptionem horum noſtrorum Statutorum, Præpoſitus, Socii, et Scholares omnes dicti Collegii fidem dent de obſervandis hiſce noſtris Statutis; et ſolennitèr in Sacello, coram Viſitatoribus Collegii à Nobis in Statutis noſtris et infra nominatis, unuſquiſque eorum Juramentum in ſe recipiat, uti ſuo Ordini præ-

præſcriptum habetur in Statutis noſtris : niſi quod in Juramento Socii concedimus, pro hâc Vice tantum, Sociis nunc exiſtentibus, et beneficiatis juxta Statuta quæ hactenus obtinuerunt in Collegio, ut illa Clauſula omittatur *(profiteor me inſuper nullum omnino eccleſiaſticum Beneficium jam poſſidere.)* Viſitatoribus vero Collegii Poteſtatem et Licentiam concedimus, pro hâc vice, Juramentum adminiſtrandi in hoc caſu, poſt hanc vicem vero, eandem Poteſtatem concedimus Præpoſito, et Vicepræpoſito Collegii (cum ipſe Præpoſitus Juramentum in ſe recepturus ſit) pro tempore exiſtentibus, ut Juramenta omnia et ſingula in Statutis noſtris requiſita et præſcripta, licite adminiſtrare, et valeant, et poſſint per præſentes.

CUM verò varii Caſus oboriri poſſint, quos omnes humana prudentia proſpicere nequit ; idcirco volumus, ac per præſentes pro Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris concedimus præfatis Præpoſito, Sociis, et Scholaribus dicti Collegii, et Succeſſoribus ſuis ; Quod Præpoſitus et major Pars Sociorum

ciorum Seniorum pro Tempore exiſtentium in Caſibus omiſſis (ubi nihil certum in Statutis noſtris definitum fuerit) nova Decreta, et Ordinationes condere valeant, et poſſint, quæ modo non repugnent Statutis noſtris, et habeant Conſenſum Viſitatorum Collegii, qui inferius nominantur; Vim obligandi, ſub pœnis in iiſdem præſcriptis, obtinere volumus, et concedimus; donec (ceſſante Cauſâ) viſum fuerit Præpoſito, et Sociis Senioribus, vel majori Parti eorundem, eadem Decreta et Ordinationes cum conſenſu itidèm Viſitatorum reſcindere.

CUMQUE prædicta nuper Regina per dictas ſuas Literas patentes voluerit, conceſſerit, ordinaverit et decreverit, pro Se, Hæredibus, et Succeſſoribus ſuis, quod quandocunque et quotieſcunque contigeret aliquem Præpoſitum ullo modo amoveri, vel deeſſe, Morte, Deceſſu, Reſignatione, Deprivatione, vel aliquo alio modo; quod tùnc, et deincèps benè liceret prædictis Sociis ad tùnc ſuperviventibus, vel majori Parti eorundem, Præpoſitum aliquem idoneum eligere

gere, et nominare infra tres menſes tunc proxime ſequentes : Nos pro eâ curâ quam ſingularem habemus erga univerſum Regnum Hiberniæ, et ſpecialitèr erga Collegium prædictum, hanc Poteſtatem antea conceſſam Sociis Collegii prædicti pro tempore exiſtentibus, cum Aſſenſu et Conſenſu eorundem Præpoſiti, Sociorum, et Scholarium, Nobiſmet ipſis, et Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris, in perpetuum reſervari volumus, et declaramus per præſentes. Et idcircò mandamus, ut quandocunque et quomodocunque contigerit Præpoſituram dicti Collegii vacare; et Vicepræpoſitus pro tempore exiſtens (vel eo abſente Socius maxime Senior qui domi fuerit) Vacationem ſtatim ſignificet Cancellario Academiæ ſive Univerſitatis prædictæ pro tempore exiſtenti, et Cancellarius, abſque morâ, nobiſmet ipſis, Hæredibus, vel Succeſſoribus noſtris, renunciet. Durante vero Vacatione, et donec novus Præpoſitus à Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris nominetur, et in Præpoſituram in dicto Collegio admittatur, Volumus, ut Vicepræpoſitus pro tempore exiſtens, curam regiminis

nis Collegii in ſe ſuſcipiat, et Præpoſiti vices in omnibus gerat (exceptis Cubiculorum diſtributionibus, Electionibus omnibus, Dimiſſionibus Terrarum et Tenementorum Collegii ad firmam, et Inſtrumentis quibuſcunque faciendis quæ Collegii Sigillo muniri ſolent.)

CUMQUE prædicta nuper Regina per dictas Literas ſuas patentes voluerit, conceſſerit, et ordinaverit pro Se, Hæredibus, et Succeſſoribus ſuis, quod ſi contigerit prædictorum Sociorum, et Scholarium aliquem, ullo modo deeſſe, et amoveri, Morte, Deceſſu, Reſignatione, Deprivatione, vel alio quovis modo, quòd tùnc, et deincèps, benè liceret Præpoſito, cæteriſque Sociis, vel eorum Succeſſoribus, adhunc ſuperviventibus, vel majori Parti eorundem, aliam idoneam Perſonam, vel alias idoneas Perſonas, in locum, vel locos, prædicti Socii aut Scholaris, Sociorum aut Scholarium, eligere, nominare, et conſtituere intra duos menſes proximè pòſt ſequentes; et ſic de tempore in tempus, totiès quotiès hujuſmodi Mors, Deceſſus, Reſignatio, vel Deprivatio contingeret, quodque eorum quilibet, ſic de tempore in tem-

pus electus, haberet et gauderet, ac habere et gaudere valeret, et poſſet, adeo plenam, et liberam Poteſtatem, Authoritatemque, in omnibus, et per omnia, et ad omnia, et ſingula, agenda, perimplenda, et exigenda, prout aliquis alius Sociorum et Scholarium prædicti Collegii, quovis modo habere, ſeu gaudere deberet, aut poſſet: Nos volentes, certis de cauſis prædictum Tempus, præſertim Nominationis, Electionis, et Conſtitutionis cujuſlibet Socii et Scholaris Collegii prædicti, in poſterum nominandi, eligendi, et conſtituendi, mutari; de Gratiâ noſtrâ ſpeciali, ac ex certâ Scientiâ et mero Motu noſtris, volumus et ordinamus, ac per præſentes pro Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris, concedimus præfatis Præpoſito, Sociis, et Scholaribus, et Succeſſoribus ſuis: Quod quandocunque, et quotieſcunque in poſterum contigeret aliquem Sociorum Seniorum Numero ullo modo deeſſe, et amoveri, Morte, Deceſſu, Reſignatione, Deprivatione, vel alio quovis Modo, quod tunc et deincèps benè liceat et licebit Præpoſito, cæteriſque Sociis Seniori-

bus

bus tunc ſuperviventibus, vel majori, ſive æquali Parti eorundem pro tempore exiſtentium, unà cum Præpoſito, aliam idoneam Perſonam, vel alias idoneas Perſonas, in locum vel locos, prædicti Socii Senioris vel Sociorum Seniorum, infra Triduum à Vacatione cognitâ eligere, nominare, et conſtituere. Similitèr etiam, ſi contigerit Sociorum Juniorum et Scholarium aliquem ullo modo deeſſe et amoveri, Morte, Deceſſu, Reſignatione, Deprivatione, vel alio quovis modo, quod tùnc et deinceps benè liceat et licebit Præpoſito, et Sociis Senioribus, vel majori Parti eorundem pro tempore exiſtentium unà cum Præpoſito, aliam idoneam Perſonam, aut alias idoneas Perſonas, in locum vel locos, prædicti Socii Junioris aut Scholaris, Sociorum Juniorum aut Scholarium, die Lunæ poſt Dominicam ſanctæ Trinitatis ad tunc proxime ſequentem eligere, nominare, et conſtituere juxta Statuta noſtra prædicta in hoc caſu proviſa, et ſic, de tempore in tempus, totiès quotiès Mors, Deceſſus, Reſignatio vel Deprivatio contigerit; quodque quilibet eorum in hujuſmodi locum vel locos, Præpoſiti,

Sociorum Seniorum, Sociorum Juniorum, vel Scholarium, reſpectivè, ſic (ut præfertur) electus habeat et gaudeat, ac habere et gaudere valeat, et poſſit, adeo plenam et liberam Poteſtatem, Authoritatemque, in omnibus, et per omnia, et ad omnia, et ſingula, agenda, perimplenda, et exigenda, prout ipſe Præpoſitus, vel aliquis alius Sociorum Seniorum, Sociorum Juniorum, vel Scholarium, dicti Collegii pro tempore exiſtentium quovis modo habere ſeu gaudere debeant, aut poſſint, juxta tenorem prædictorum Statutorum noſtrorum in hoc caſu deſignatorum.

CUMQUE eadem nuper Regina ad Suſtentationem et Manutentionem prædicti Collegii, et ad Relevamen et Suſtentationem Præpoſiti, Sociorum, et Scholarium prædicti Collegii, per eaſdem Literas ſuas patentes conceſſerit, et Licentiam dederit, pro Se, Hæredibus, et Succeſſoribus ſuis, prædictis Præpoſito, Sociis, et Scholaribus, et eorum Succeſſoribus, quod ipſi, et Succeſſores ſui poſſint et valerent perquirere, habere, recipere, et poſſidere, per Nomen Præpoſiti, Sociorum, et

et Scholarium Collegii ſanctæ et individuæ Trinitatis Elizabethæ Reginæ juxta Dublin, Manneria, Terras, Tenementa, et Hæreditamenta quæcunque, et cujuſcunque eſſent generis, naturæ, ſeu ſpeciei, annui Valoris quadringenta Librarum currentis Monetæ Angliæ, ultra Onera et Reprizas, ad proprium opus et uſus prædictorum Præpoſiti, Sociorum, et Scholarium, et Succeſſorum ſuorum, Statutis de Terris et Tenementis ad Manum mortuam non ponendis non obſtantibus.

SCIATIS, Quod Nos ejuſdem Collegii Meliorationi, et Ampliationi providere volentes, nec non ad humilem Petitionem perdilecti et perquam fidelis Conſanguinei, et Conſiliarii noſtri Thomæ Vicecomitis Wentworth Deputati noſtri generalis Regni noſtri Hiberniæ, de Gratiâ noſtrâ ſpeciali, ac ex certâ Scientiâ, ac mero Motu noſtris, volumus, ac pro Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris, iiſdem Præpoſito, Sociis, et Scholaribus, et Succeſſoribus ſuis, Licentiam damus per præſentes: Quod iidem Præpoſitus, Socii, et Scholares, et Succeſſores ſui, Manneria,

ria, Terras, Tenementa, et Hæreditamenta quæcunque, cujuſcunque ſint Generis, Naturæ, ſive Speciei, tam de Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris quàm de aliquâ aliâ Perſonâ vel Perſonis quibuſcunque, eiſdem Præpoſito, Sociis, et Scholaribus, et Succeſſoribus ſuis in perpetuum ad Suſtentationem et Manutentionem Collegii prædicti, et ad Relevamen et Suſtentationem eorundem Præpoſiti, Sociorum, et Scholarium ejuſdem Collegii, et Succeſſorum ſuorum (ultra prædicta Manneria, Terras, Tenementa, et Hæreditamenta ad annuum Valorem quadringenta Librarum in eiſdem Literis patentibus prædictæ nuper Reginæ ut præfertur mentionata) perquirere, capere, et recipere valeant, et poſſint. Ità tamen, quod eadem Manneria, Terræ, Tenementa, et Hæreditamenta Virtute præſentium perquirenda, non teneantur de Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris immediatè in Capite, in Dominico, vel in Servitio, aut de Nobis, Hæredibus, vel Succeſſoribus noſtris, aut de aliquâ alia Perſonâ, per Servitium militare. Ac ità, quod non excedant in toto annualem Valorem ducentarum

tarum Librarum currentis Monetæ Angliæ, ultra omnia Onera et Reprizas, Statutis de Terris et Tenementis ad Manum mortuam non ponendis, aut aliquo alio Statuto, Actu, Ordinatione, vel Proviſione in contrarium, inde non obſtantibus.

CONCEDIMUS inſuper, et pro Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris, omnibus, et ſingulis Perſonis quibuſcunque, Licentiam damus per præſentes ſpecialem: Quod ipſi, aut eorum aliquis, Manneria, Terras, Tenementa, et Hæreditamenta qæcunque, præfatis Præpoſito, Sociis, et Scholaribus, et Succeſſoribus ſuis (ultra prædicta Manneria, Terras, Tenementa, et Hæreditamenta in prædictis Literis patentibus dictæ nuper Reginæ ut præfertur mentionata) liberè, et licitè dare, vendere, alienare, legare, vel concedere, valeant et poſſint, ſeu valeat et poſſit, tam de Fœodo ſuo proprio, quàm de alieno, ſive de Nobis, Hæredibus, vel Succeſſoribus noſtris, vel de aliquibus aliis perſonis quibuſcunque teneantur, modò non teneantur de Nobis, Hæredibus, vel Succeſſoribus noſtris, immediatè in Capite, in Dominico,

co, vel in Servitio, aut de Nobis, Hæredibus, vel Succeſſoribus noſtris, aut de aliquâ aliâ Perſonâ, per Servitium militare : Statutis prædictis, de Terris et Tenementis ad Manum mortuam non ponendis, aut aliquo alio Statuto, Actu, Ordinatione, vel Proviſione, in contrarium, inde non obſtantibus. Et hoc, abſque aliquâ Inquiſitione, ſive aliquibus Inquiſitionibus, inde prætextu alicujus Brevis ſeu Mandati, vel aliquorum Brevium vel Mandatorum, Noſtrorum, Hæredum, vel Succeſſorum noſtrorum, de ad quod Damnum, ſeu alicujus aliûs Brevis, Conceſſionis, Mandati, ſive Præcepti, in hac parte faciendi, perſequendi, ſeu capiendi, et in Cancellario noſtro, ſeu alibi, retornandi. Ità tamen, quòd eadem Manneria, Terræ, Tenementa et Hæreditamenta, annualem Valorem ducentarum Librarum currentis Monetæ Angliaæ (ultra omnia Onera et Reprizas, ut præfertur) non excedant. VOLENTES, et pro Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris, firmitèr, præcipientes, quod præfati Præpoſitus, Socii, et Scholares, et Succeſſores ſui occaſione præmiſſorum, vel eorum alicujus,

per

per Nos, Hæredes, vel Succeſſores noſtros, Juſticiarios, Eſchæatores, Vicecomites, ſeu alios Ballivos, ſeu Miniſtros, noſtros, Hæredum, vel Succeſſorum noſtrorum quoſcunque non impetentur, inquietentur, moleſtentur, ſeu in aliquo graventur.

ET VOLUMUS, ac per præſentes pro Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris prohibemus, nè quiſpiam ullis alliis in Locis publicè profitæatur, aut edoceat Artes liberales infra Regni noſtri Hiberniæ Limites, ſine Licentiâ ſpeciali noſtrâ, Hæredum vel Succeſſorum noſtrorum, in eâ Parte prius habendâ et obtinendâ.

AC UT omnia et ſingula præmiſſa melius curentur, ex Gratiâ noſtrâ ſpeciali erga Collegium prædictum, præfatis Præpoſito, Sociis, et Scholaribus et Succeſſoribus ſuis concedimus pro Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris, per præſentes: Quod Præpoſitus, et Seniores Socii Collegii prædicti pro tempore exiſtentes, vel major pars eorundem unà cum Præpoſito, de cætero in perpetuum habeant Licentiam, et Poteſtatem nominandi,

minandi, eligendi, et admittendi Cancellarium, Procuratores, alioſque omnes Officiarios ad Academiam prædictam ſpectantes, ſed eâ lege, ut ſinguli eorum ſic (ut præfertur) electi unà cum Procancellario Academiæ prædictæ (quem uti par eſt à Cancellario Academiæ, cujus Vicem gerit, ſemper eligi volumus) ante admiſſionem fidem dent, ſub Juramento, Se munus ſibi ipſis demandatum fideliter exercituros. Cancellarius quidem Academiæ prædictæ coram Cancellario ſive Cuſtode magni Sigilli noſtri Angliæ, aut coram Cancellario Hiberniæ; Procancellarius autem, Juramentum prædictum in ſe recipiat coram Cancellario Academiæ, vel eo abſente, coram Cancellario Regni noſtri Hiberniæ. Procuratores verò reliquique Officiarii Academiæ, prædictam fidem dent, ut ſupra, coram Cancellario, vel eo abſente, Procancellario ejuſdem Academiæ. Quos omnes, nempè Cancellarium ſive Cuſtodem magni noſtri Sigilli Angliæ, Cancellarium Regni noſtri Hiberniæ, Cancellarium et Procancellarium Academiæ prædictæ juxta Dublin pro tempore exiſtentes, Authoritate noſtrâ regiâ munimus,

ut

ut in casibus prædictis, singulis sic (ut præfertur) electis, Juramentum administrare licitè et valeant, et possint.

CUMQUE prædicta nuper Regina per dictas Literas suas patentes, voluerit, et ordinaverit, Quod Cancellarius Academiæ prædictæ pro tempore existens, vel ejus Procancellarius, cum Archiepiscopo Dublinien-si, Episcopo Midensi, Vicethesaurario, Thesaurario ad Guerras, Capitali Justiciario Capitalis Placæ suæ intra Regnum suum Hiberniæ, et Majore Civitatis Dublinien-sis, pro Tempore existentibus, vel eorum majore Parte, qui vocarentur Visitatores, omnes Lites, Actiones, et Controversias, quas Præpositus et major Pars Sociorum non possent componere, dirimerent, et definirent: Et quod omnia graviora Delicta ab ipso Præposito et Sociis non emendata, animadverterent: Nos verò, certis de Causis specialitèr nos in hâc Parte moventibus, volumus, et per præsentes, pro Nobis, Hæredibus, et Successoribus nostris, ex Assensu eorundem Præpositi, Sociorum, et Scholarium ordinamus: Quod Cancellarius Academiæ prædictæ, vel eo absente

Procancellarius ejus pro tempore exiſtens, unà cum Archiepiſcopo Dublinienſi pro tempore exiſtente, de cætero in perpetuum ſint, et erunt Viſitatores Collegii prædicti, quos Authoritate noſtrâ munimus, ut omnes Lites, Actiones, et Controverſias, quas Præpoſitus et major Pars Seniorum Sociorum pro tempore exiſtentium non poſſint componere, dirimant et definiant: Et quod in omnia Delicta, ab ipſo Præpoſito et Sociis Senioribus Collegii prædicti non emendata, animadvertant: Idque juxta Statuta noſtra pro Regimine illius Collegii. Niſi quod, vel diſſentientibus inter Se Procancellario Academiæ, et Archiepiſcopo Dublinienſi ſuper aliquâ materiâ controverſâ, vel in gravioribus quibuſcunque Negotiis, Nihil unquam fieri volumus ſine Approbatione Cancellarii Academiæ prædictæ, aut ſi fiat, pro irrito habeatur.

DENIQUE Statuimus, et pro Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris ordinamus, ex eâdem Gratiâ noſtrâ, quâ Studia et ſtudioſos proſequimur, ut quicquid Adjumenti ad hoc Collegium meliùs conſtituendum, et conſervandum præſtari poſſit, à Deputato

putato noſtro generali Regni noſtri Hiberniæ, et ab omnibus aliis noſtris Subditis et Officiariis, noſtris, Hæredum, vel Succeſſorum noſtrorum, pro tempore exiſtentibus, ut illud, bonâ cum Veniâ et Authoritate noſtrâ, præbeant et adminiſtrent. Et quod omnia Bona, Catalla, Res, Terras, Tenementa et Hæreditamenta ad Præpoſitum, Socios, et Scholares dicti Collegii, et Succeſſores ſuos pertinentia, ſint, de Tempore in Tempus, totis futuris Temporibus, ab omni Onere, Taxis, Tallagiis, Ceſſis, Subſidiis, Exactionibus, Compoſitionibus, vel Demandis quibuſcunque, libera et exonerata, tam tempore Guerræ, quam tempore Pacis, Nobis, Hæredibus, et Succeſſoribus noſtris, aliquo modo ratione Prærogativæ noſtræ, vel aliter, debitis, vel poſtulandis. Aliquo Statuto, Actu, Ordinatione, Proclamatione, Reſtrictione, Conſuetudine, Uſu, Lege, Præſcriptione, vel aliquâ aliâ Re, Cauſâ, vel Materiâ quâcunque in contrarium præmiſſorum in aliquo non obſtante, EO QUOD, expreſſa Mentio de vero Valore annuo, aut de Certitudine præmiſſorum, ſeu eorum alicujus, aut de aliis

Donis, ſive Conceſſionibus, per Nos, vel per aliquem Progenitorum noſtrorum, præfatis Præpoſito, Sociis, et Scholaribus dicti Collegii ante hoc factis, in præſentibus minimè facta exiſtit. Aliquo Statuto, Actu, Ordinatione, ſeu Proviſione, vel aliquâ aliâ Re, Cauſâ, vel Materiâ quâcunque in contrarium præmiſſorum factâ non obſtante.

IN CUJUS REI TESTIMONIUM has Literas noſtras fieri fecimus patentes, TESTE præfato Deputato noſtro generali, Regni noſtri Hiberniæ. Apud Dublin viceſimo quinto Die Maii, Anno Regni noſtri decimo tertio.

CARLETON.

IRROT. in Rotulo Patentium Cancellariæ Hiberniæ, Anno Caroli decimo tertio. Ex. Per Me.

Chr. Wandesforde M. Rotulorum.

CARO-

CAROLUS Dei Gratia, Angliæ, Scotiæ, Franciæ, et Hiberniæ Rex, Fidei Defenſor, &c.

Dilectis et fidelibus Præpoſito, Sociis, et Scholaribus Collegii ſanctæ et individuæ Trinitatis juxta Dublyn.

PERMAGNAM vim in doctrinarum ſtudiis exiſtere ad excolendos hominum animos, et à ferâ, agreſtique vitâ, ad humanitatis, et religionis officia traducendos, vel inde facilè conſtare poteſt, quòd non ſolùm priſcis temporibus apud Hebræos, Ægyptios, Græcos, et Romanos literarum politiorum diſciplinæ viguerunt, ſed etiam poſterioribus hiſce ſæculis eædem (poſtquam Barbarorum incurſionibus profligatæ, aliquandiu à communi hominum conſuetudine exulâſſent) revocatæ ſint, et apud pleraſque nationes in magno honore conſtitutæ. Ut exteras na-

tiones omittamus, intueamur Angliam noſtram, in quâ tot paſſim extructæ Scholæ, et tam illuſtres Academiæ teſtantur Artes liberales ſummæ curæ clariſſimis Principibus, Anteceſſoribus Noſtris fuiſſe; neque verò dignas tantum exiſtimârunt, quæ ab indigenis Anglis ſtudioſè colerentur; ſed cum eas tanti ad pietatem, et humanitatem momenti eſſe perſpicerent, de literarum quaſi coloniâ aliquâ in Hiberniam (in quâ olim floruerant) reducendâ cogitârunt. Quod et reipſâ fecit Regina Elizabetha celebris memoriæ, Collegium Sanctæ Trinitati juxta Urbem Dublinienſem extruendo; quod etiam annuis reditibus dotavit, et Academiæ privilegiis ornavit. Cujus exemplum Rex Jacobus chariſſimus Pater Noſter celeberrimæ memoriæ ſecutus, idem Collegium magnis proventibus et latifundiis auxit. Et Nos horum Sereniſſimorum Principum veſtigiis inhærentes, ex gratiâ noſtrâ ſpeciali, et pro ſingulari favore, quo rempublicam literariam proſequimur, patrocinium dicti Collegii in Nos ſuſcipimus, et conſervationem jurium ejus ſpondemus. Et quoniam ad conſervationem cujuſcunque Socie-

Societatis, bonæ Leges pro eâdem piè, et felicitèr gubernandà primas tenent ; Statuta autem, quæ hactenus obtinuerunt in Collegio, et in multis minùs recta, et accommoda fuerunt, et parùm firmâ auctoritate munita, prout res ipſa loquitur ; ideo Nos ea recenſenda Mandavimus, et eadem ſic caſtigata, et in formam redacta, Authoritate Regiâ munimus, mandantes Vobis, et Succeſſoribus veſtris, hiſce Statutis Noſtris per omne ævum obedire, niſi pro temporum ratione viſum erit Nobis, vel Succeſſoribus Noſtris, aliquid adjicere, tollere, vel mutare, aut in aliquibus diſpenſare, non obſtantibus hiſce Statutis noſtris. Tenor autem Statutorum Noſtrorum eſt, ut ſequitur.

CAPUT. I.

De Numero Membrorum Collegii.

CORPUS Collegii conſtare volumus ex Præpoſito tanquam Capite, et ex Sociis, et Scholaribus, tanquam nobilioribus hujus Corporis

poris membris. Socii ſint numero ſedecem; quorum ſeptem Seniores, reliquos verò Juniores nominari Volumus. Scholares Collegii ſumptibus alendi, ſint Numero ſeptuaginta. His annumerari Volumus, tanquam membra ignobiliora, ſed tamen huic Corpori omnino neceſſaria, inferiores aliquot Miniſtros, cujuſmodi ſunt Coquus, Manceps, Cellarius, Janitor. Quorum omnium officia (quæque Ordine ſuo) ſequentibus Capitibus deſcribuntur.

CAPUT. 2.

De Qualitate et Officio Præpoſiti.

EXIGIT politici Corporis ratio, ut ante omnia Caput idoneum conſtituatur, à quo cætera membra ad commune bonum totius Corporis dirigantur. Statuimus igitur, ut Præpoſitus ſit moribus probus, vitâ integrâ, et famâ inviolatâ, annos natus ad minimum triginta, et in ſacris Ordinibus conſtitutus. Sit

Sit etiam Profeſſor in Sacrâ Theologiâ, vel ad minimum Baccalaureus in eâdem facultate. Cæteris paribus extraneo educatus in Collegio præferatur. Nec habeat, aut recipiat (quamdiu locum, et munus Præpoſiti ſupplet) Eccleſiaſtica, ut vocant, beneficia, cum curâ animarum, uno plura. Dignitatem verò Eccleſiaſticam (quæcunque ſit infra Epiſcopalem) hâc Sanctione prohiberi Nolumus, modò Præpoſitus debitam reſidentiam, cæteraque omnia præſtat, quæ illius officio incumbunt ſecundum Statuta Collegii. Sit porrò in re familiari providus, res Collegii, et negotia ita adminiſtret, ut non ſuum, ſed Collegii commodum quærere videatur. Et neque gratiæ in cauſis cognoſcendis diſcernendiſve, neque odio, neque ulli animi perturbationi pareat, ſed æquitatem ducem ſemper ſequatur. Huic Volumus ſingulos Socios, Scholares, et Collegii Miniſtros ſuo ordine ſubeſſe, eique, in licitis, et honeſtis, exercitium ſcholaſticum, aut dicti Collegii regimen, aut commodum, aut honorem, tangentibus, ſine murmure obedire, et parere.

Officia-

Officiariorum omnium et Lectorum, imprimis Decanorum, et Burſarii curam habeat, ac illos ſi muneri ſuo deſint, aut in eodem obeundo tardos eſſe deprehenderit, pro arbitrio ſuo puniat, niſi ubi pænæ aliqua expreſſa mentio, pro eâ culpâ in Statutis fiat. Similitèr ubicunque in his Statutis, aliquid Studentibus cujuſcunque fuerint ordinis, aut Officiariis, aut Miniſtris Collegii, aut cuiquam eorum præcipitur, aut prohibetur ſine annexâ penâ, aut pæna præſcribitur ſine mentione ejus qui infligeret, Præpoſiti erit curare, ut et officium convenienti pænâ urgeatur, et pæna præſcripta infligatur. Et in hoc officio Præpoſitum manere Volumus, quoàd benè ſe, honeſtèque gefferit, et ſecundùm Statutorum præſcripta vixerit. Volumus tamen, ut nullus in Præpoſitum eligatur, niſi cælebs, et ſi fortè poſt electionem, uxorem duxerit, aut cedat, aut ipſo facto a Collegio amoveatur.

CAPUT

CAPUT 3.

De Juramento Præpoſiti.

STATUIMUS, ut qui ad Præpoſituram Collegii eligitur, hoc Juramentum ſequens publicè in Sacello præſtet.

Ego G. C. in Præpoſitum hujus Collegii Sanctæ Trinitatis nupèr electus, JURO *me veram Chriſti religionem ex animo complexurum, Scripturæ authoritatem, hominum judiciis præpoſiturum, regulam vitæ, et ſummam fidei inde petiturum, Authoritatem Regiam in omnibus ſummam, et externorum Epiſcoporum juriſdictioni minimè ſubjectam eſtimaturum, contrarias vero Verbo Dei opiniones omni conatu averſaturum.* JURO *etiam me omnia dicti Collegii beneficia, fundos, prædia, poſſeſſiones, dominia, proventus, jura, libertates, privilegia, omnia denique bona, ſine imminutione, et vaſtatione, quantum in me ſitum erit, et jure poſſum, conſervaturum, et adminiſtraturum, Statuta hujus Collegij pro virili meâ in omnibus ſervaturum, iiſque omnibus, quæ ex eorum præſcripto gerentur, meum aſſenſum*

assensum accommodaturum, omnesque et singulos, Socios, et Discipulos, Pensionarios, Sizatores, et cætera Collegii membra ex iisdem legibus, et Statutis sine ullius generis, aut conditionis, aut personarum respectu, gratiâ, aut odio recturum, et defensurum; atque ut prædicta omnia legitime et salutariter ab aliis administrentur, ac defendantur, quantum in me est, curaturum. Similiter etiam me, neque in meis, neque alienis negotiis amplius duobus in anno mensibus à Collegio abfuturum, nisi vel Collegii, vel regni negotia, vel regia authoritas me aliò avocaverit, aut vis, morbus, contagium, aut alia quæpiam causa necessaria evenerit, ab Archiepiscopo Dubliniensi in absentiâ Cancellarii approbanda. Deinde JURO, *si loco motus fuero, aut si sponte cessero, me omnia Collegii bona, quæ in meâ potestate sunt, Præsidi, vel Thesaurariis Collegii, aut statim, si id fieri potest, aut intra quindecem dies, sine controversiâ vel imminutione redditurum. Postremò* JURO, *si munere Præpositi jure, et legitime abdicatus fuero, me nullum litem, actionemve iis, qui me legitimè abdicarunt, eâ de causâ unquâm in posterum intentaturum.*

Item

Itèm quòd non impetrabo, nec procurabo directè, vel indirectè dispensationem aliquam contra juramenta mea prædicta, aut contra ordinationes, aut Statuta Collegii, vel ipsorum aliquod. Hæc omnia, et singula observabo, ita me Deus adjuvet ; tactis Sacrosanctis Christi Evangeliis.

CAPUT 4.

De Authoritate Præpositi et septem Sociorum Seniorum.

QUIA in omni Societate benè constituendâ paritas membrorum maximè caveri debet, utpote quæ anarchiam, et rerum omnium confusionem inducat; idcirco, Præpositum hujus Societatis Caput constituimus, eumque authoritate summâ in moderandis personis, et negotiis Collegii, et in omnibus aliis, quæ ad Collegii regimen quovis modo spectant, vel spectare possunt, munimus. Quo meliùs autem munere suo fungatur, Ordinamus, et Volumus, ut è toto Sociorum nume-

ro, ſeptem maximè Seniores Socii, ei ſint tanquam Aſſeſſores, et ut eorum conſilio, et auxilio, omnia majora Collegii negotia tractet, ſive ad mores, ſive ad doctrinam, ſive œconomiam ſpectantia, et hi ſeptem, Socii Seniores vocentur. Horum autem authoritas, qualis eſſe debeat, partim hîc, et partim aliis variis Statutis Collegii exponitur. Volumus igitur, ut Præpoſitus, et horum Seniorum pars major (nempe quatuor) Collegii regimen, electiones omnes Sociorum, Officiariorum, Diſcipulorum, et Miniſtrorum Collegii, Graduumque collationes definiant, et concludant. In quibus omnibus definiendis, Præpoſitum, aut eo abſente, Vicepræpoſitum, unum ſemper eſſe Volumus. In dimiſſione autem terrarum, aut tenementorum, domuumve ad firmam, et omnibus aliis Inſtrumentis faciendis, quæ Sigillo Collegii munienda ſunt, nihil unquam fiat, niſi conſentiente, et ſuffragante Præpoſito; aut ſi fiat, pro irrito habeatur. Quòd ſi contigerit, unum, vel plures è Senioribus Sociis à Collegio peregrè abeſſe, cum res ejuſdem Collegii Sociorum conventum poſtulare Præpoſitus judicaverit,

dicaverit, numerus ſeptenarius è Junioribus Sociis ſecundùm ſenioritatem aſſumptis, pro illâ vice completor, et quicquid Præpoſitus cum aſſenſu, et conſenſu quatuor ex hoc numero ſeptenario sìc conflato egerit, ratum eſto. Sin vero unus, vel plures legitimè vocati, et de horâ, et loco conventûs moniti Se abſentaverint, eidem cum Præpoſito parti ſuffragari cenſeantur. Legitimè autem vocari dicimus, ſi quis à Præpoſito miſſus, eos de loco et horâ conventûs monuerit, aut ſi Præpoſitus, vel Vicepræpoſitus, vel qui in Aulâ ad menſam tempore Prandii, vel Cænæ præſidet, palàm ſignificaverit, conventum poſtridiè tali loco, et horâ fore, multò magis ſi Præpoſitus ipſe conventum continuaverit, aut de novo indixerit.

CAPUT 5.

De Scholaribus ſive Diſcipulis.

RELIQUUM Collegii Corpus Sociis Junioribus, et Scholaribus conſtat. In Diſci-

 pulorum

pulorum electione, quoties locus aliquis quocunque modo vacaverit, Volumus, et Statuimus, ut à Præpoſito, et ſeptem Senioribus, aut ſaltem majori parte eorundem alius aptus, et habilis in locum vacuum aſſumatur. In quâ electione habeatur ratio inopiæ, ingenii, doctrinæ, virtutis, et quo magìs quiſque ex eligendorum numero his excedit, eo magis, ut æquum eſt, præferatur. Omnes, qui Diſcipulatum in Collegio petunt, ab Electoribus ab horâ octavâ antemeridianâ ad decimam, et ab horâ ſecundâ pomeridianâ ad quartàm, per duos dies diligentèr quid in Grammaticâ, et literis humanioribus poſſint, examinentur. Atque die electionis Diſcipulorum (quem ſemper eſſe Volumus die Lunæ proximè poſt Dominicam Trinitatis) omnes qui Diſcipulatum petunt, nomina ſua, et Comitatuum Regni, in quibus nati ſunt, Præpoſito, et Sociis Senioribus tradenda curent, quæ coram omnibus dictis Electoribus recitentur. Sumantur autem potiſſimùm et eligantur ex eorum numero (ſi modo idonei ſint, et cæteris pares reperiantur) qui in Schòlis Dublinienſibus educati

educati ſunt, aut nati in hujus regni Comitatibus, ac locis, in quibus Collegium prædia, fundos, proventus, ac reditus habet: ut quorum labore, et ſudoribus Collegii membra omnia, et ſingula ſuſtentantur, eorum potiſſimûm liberi in eodem educentur, et virtute, ac humanioribus literis ad Eccleſiæ, et reipublicæ emolumentum inſtituantur. Alioqui ex aliis regni partibus, aut Dominiis Coronæ magnæ Britanniæ ſubditis indifferentèr ad numerum ſupplendum, qui maximè idonei videbuntur, ſempèr ſumantur. Nullus Hæres, qui jam ſit, aut patre mortuo futurus ſit hæres, cujus hæreditas ſummam viginti Librarum exceſſerit, in hunc numerum cooptetur. Nemo etiam eligatur, qui non ſit ad Logicam in aulâ diſcendam idoneus. Poſt electionem, quamprimùm commodè fieri poteſt, à Præpoſito, omnibus Electoribus præſentibus, in Diſcipulos admittantur. Diſcipuli autem ſtipendia, nemo diutius accipiat, quam donèc Magiſtri in Artibus gradum adeptus fuerit, aut per leges Academiæ adipiſci potuerit, aut in Socium eligatur.

CAPUT. 6.

Juramentum Diſcipuli.

EGO N. N, *electus in numerum Diſcipulorum hujus Collegii, ſanctè coram Deo profiteor, me Regiam Authoritatem Sereniſſimi nunc Regis Caroli ſecundum Deum ſummam eſſe, in regnis Angliæ, Scotiæ, et Hiberniæ agnoſcere, et nullius externi Principis, aut Pontificis, poteſtati obnoxiam.* JURO *etiam, quod Statutis Collegi libentèr obtemperabo, et ea ab aliis obſervanda (quantum in me eſt) curabo. Scholaſtica exercitia ſingula, Diſcipulis in Statutis injuncta diligenter præſtabo: et ſi cura mihi muneris alicujus obeundi in negotiis Collegii adminiſtrandis commiſſa fuerit, eâ ſtudioſè perfungar. Collegii et ſingulorum in eo ſtudentium, præſertim Præpoſiti, et Sociorum Seniorum ſalutem, et dignitatem, pacem, et commodum pro virili mea tuebor, et procurabo. Concilia, coitiones, conjurationes, et inſidias, quæ contra quemcunque in Collegio degentem fiunt, ſi de iiſdem cognovero, omni honeſta ratione, quantum potero, impediam, et iis quo-*

rum

rum intererit, nunciabo. Præpoſito in omnibus licitis, et honeſtis, promptiſſimâ voluntate, et ſtudio parebo; ac proinde factiones contra Præpoſitum, et partium ſtudia nunquam inibo, nec iniri procurabo, ſed vitabo, et ne ab aliis ineantur (quantum in me eſt) impediam quamdiu vixero in hoc mundo. Hæc omnia ſupra memorata in me recipio, Deoque teſte, me ſedulo facturum promitto, ac ſpondeo; tactis Sacroſanctis Chriſti Evangeliis.

CAPUT. 7.

De Sociorum Juniorum Electione.

VOLUMUS, et Statuimus, ut in Socios ii ſolùm cooptentur, de quorum religione, doctrinâ et moribus, tum Præpoſitus, tum Socii ſeptem Seniores, ſpem bonam animis conceperint, quique Gradum Baccalaureatûs in Artibus jam ſuſceperint. In hâc electione, Diſcipuli Collegii ſempèr præferantur, atque ſimilitèr tenuiores ditioribus, doctiores indoctioribus, et probiores minus probis,

probis, modo cætera reſpondeant. Eligendi poteſtas (ut antea ſtatuitur) ſit penès Præpoſitum, et majorem partem Sociorum Seniorum. Tempore electionis Sociorum, die nempe Lunæ proximè poſt Dominicam Trinitatis, primùm, omnes Electores, memores juramenti Collegio præſtiti, provideant, et ſtatuant, ſe neminem in Socium electuros qui ſit infamiâ notatus, de hæreſi convictus, aut moribus et vitæ conſuetudine diſſolutus, ſed eos duntaxàt, quos teſte conſcientiâ, idoneos judicaverint. Quòd ſi quiſpiam Electorum, vel munere donatus, vel ſpe muneris inductus, cuiquam, ſuffragatus eſſe deprehenſus fuerit, et coram Præpoſito, reliquiſque Sociis Senioribus de eo legitimè fuerit convictus, Collegio expellatur. Quatuor diebus præcedentibus electionis diem, ab horâ octavâ antemeridianâ ad decimam, et ab horâ ſecundâ pomeridianâ ad quartam, omnes Electores diligentèr exquirant, quem progreſſum ſinguli eligendi ſive ſunt Baccalaurei, ſive Magiſtri, in bonis literis fecerunt. Primo die, in Dialecticâ, et Mathematicis; ſecundò, in Philoſophiâ

loſophiâ tùm naturali, tûm morali; tertio, in linguarum peritiâ, in hiſtoriis, et poetis, et in toto genere humanioris literaturæ; quarto, in ſcribendo de themate aliquo, et verſibus componendis. Qui autem nomen ſuum, et nomen comitatûs in quo natus fuerit, ante electionis diem, Præpoſito, aut eo abſente, Vicepræpoſito tradendum non curaverit, aut qui dictis quatuor diebus, horis præſcriptis, Electorum queſtiones, examinationeſque non ſuſtinuerit, in eligendorum numero pro eo tempore non habeatur, neque in eâ electione in cætum Sociorum cooptetur. Sumantur autèm potiſſimùm et eligantur ex eorum numero (ſi modò idonei habeantur, et cæteris pares) qui nati ſunt in regno noſtro Hiberniæ, alioqui ex aliis locis Coronæ noſtræ magnæ Britanniæ ſubjectis. Poſtridiè diei electionis, horâ octavâ matutinâ publicè in Sacello Collegii, in præſentiâ omnium Sociorum domi præſentium, et ut interſint monitorum, omnes electi admittantur in plenum jus Juniorum Sociorum, et deincèps percipiant ea commoda, et fructus, qui hujuſmodi

Sociis

Sociis ex Statutis præſcribuntur. Senioritas vero Sociorum nuper electorum (ſi plures ſint) juxta ordinem, et prioritatem gradûs, aut ſenioritatis in Academiâ, conſtituatur. Et hanc quidem regulam in Diſcipulis, Penſionariis, et aliis omnibus obſervari Volumus, ut nempe junior ſeniori ſecundùm Senioritatem, quam habet in hâc, vel utrâvis Academiâ Anglicanâ, cedat omnibus in locis quibuſcunque converſari contigerit, niſi differentia gradûs impediat, vel diſputatio pro gradu in publicis Comitiis. Quoniam tamen qui Junioris Socii munere diutiùs functus eſt, eo magìs idoneus reddatur, ad majus illud Senioris obeundum, Volumus, ut in ordine, ad locum Senioris, è junioribus maximè ſenior ſecundùm admiſſionem in Societatem præferatur, ſi cætera dignus ſit. Jus Sociorum retineant omnes impoſterum admittendi in Socios hujus fundationis durante vitâ naturali, iis conditionibus præſtitis, quæ per Statuta requiruntur. Quoniam verò præſumendum eſt, eos, qui ſecundùm veterem Chartam admiſſi pænè ad terminum

minum ibi præſtitutum pervenêre, alieno jam animo eſſe à Collegio, et alibi, ni ſibi defuerint, ſedem parâſſe; Nolumus, ut ſi qui ſint, qui ſeptennium à ſuſcepto Magiſterio in hoc Collegio proximis Comitiis completuri ſunt, ii hujus Statuti beneficio fruantur, aut ultra terminum priùs definitum, jus Societatis retineant. Reliquos omnes tam Socios quàm Scholares poſt præſtitum hiſce Statutis noſtris juramentum, ex ſpeciali gratiâ, omnibus in iiſdem comprehenſis privilegiis gaudere Volumus. Quòd ſi quis ex his, ſive Socius, ſive Scholaris fuerit juramentum Ordini ſuo præſcriptum, præſtare recuſaverit, illicó Collegio amoveatur. Si quem etiam Sociorum, aut Scholarium uxorem duxiſſe, vel cum aliquâ fœminâ matrimonium contraxiſſe compertum ſit, eum Societatis omni jure privari Volumus; ſic ùt in aliis caſibus eveniet in Statutis hiſce noſtris inferiùs nominandis. Statuimus denique, ut quilibet Sociorum (exceptis illis duobus, qui Juriſprudentiæ, et Medicinæ juxta Statuta noſtra nomina dederunt) infrà tres annos à ſuſcepto Magiſterii

gisterii gradu, Sacrum Presbyteratûs Ordinem in se susciplat, sub pœnâ amotionis perpetuæ à nostro Collegio.

CAPUT 8.

Juramentum Socii.

EGO G. C. electus in numerum Sociorum hujus Collegii, sanctè coram Deo profiteor, me, Sacræ Scripturæ authoritatem in religione summam agnoscere, et quæcunque in Sancto Dei Verbo continentur, verè et ex animo credere, et pro facultate meâ omnibus opinionibus, quas vel Pontificii, vel alii contra Sacræ Scripturæ veritatem tuentur, constanter repugnaturum. Quod ad Regiam Authoritatem attinet, Sereniſſimi nunc Regis Caroli, eam secundùm Deum summam in regnis Angliæ, Scotiæ, et Hiberniæ esse agnosco, et nullius externi Principis, aut Pontificis potestati obnoxiam. Profiteor insuper me nullum omninò Ecclesiasticum Beneficium

Beneficium jam poſſidere, nec quandiu Socius hujus Collegii fuero, aliquod accepturum, niſi vel in Urbe Dublinienſi, vel in Locis intra quindecim milliaria, ſi modò ſit Beneficium curatum, aut ſi non ſit curatum, intra triginta milliaria ad maximum ab eâ diſtantibus, neutrum verò excedens valorem decem librarum ſterlingarum in libro cenſuali fiſci regii. Quinetiam Statutis Collegii obtemperabo, et ea ab aliis obſervanda quantum in me eſt) curabo. Scholaſtica exercitia ſingula Sociis in ſtatutis injuncta, diligentèr præſtabo: Et ſi mihi cura prælegendi aliis, aut officii alicujus ad bonum Collegii regimen obeundi commiſſa fuerit, eâ ſtudioſe perfungar. Collegii, et ſingulorum in eo ſtudentium, præſertim Præpoſiti, et Sociorum Seniorum ſalutem, et dignitatem, pacem, et commodum pro virili mea tuebor, et procurabo. Conſilia, et coitiones, conjurationes, et inſidias, quæ contra quemcunque in Collegio degentem fiunt, ſi de iiſdem cognovero, omni honeſtâ ratione, quantum potero, impediam, et iis quorum intererit, nunciabo. Præpoſito in omnibus licitis, et honeſtis promptiſſimâ voluntate,

et ſtudio parebo; ac proinde factiones contra Præpoſitum, et partium ſtudia nunquam inibo, nec iniri procurabo, ſed quantum in me eſt vitabo, et ne ab aliis ineantur, quantum in me eſt, impediam, quamdiu vixero in hoc mundo. Studiorum finis erit mihi Theologiæ profeſſio, ut Eccleſiæ Dei prodeſſe poſſim, niſi aliter Deus mentem meam deinceps inclinaverit, aut niſi in locum Juriſtæ, vel Medici in Collegio, nominatus, et electus fuero. In negotiis Collegii adminiſtrandis quæ curanda ſuſcepero, fidelem operam præſtabo. Hæc omnia ſupra memorata in me recipio, Deoque teſte, me ſedulo facturum promitto, ac ſpondeo; tactis Sacroſanctis Chriſti Evangeliis.

CAPUT. 9.

De Cultu Divino.

NEMINI obſcurum eſſe poteſt, quàm infelicitèr ſuccedant omnia, cum præpotenti Deo debita veræ pietatis officia minimè deferuntur. *Primum* (inquit Chriſtus) *Quærite regnum*

regnum Dei, et juſtitiam ejus, et iſta omnia vobis adjicientur. Hinc igitur admoniti, primò de iis precipiendum putavimus, quæ ad Religionis officia pertinent. Preces Deo publicè in Sacello offerantur, tèr ſingulis diebus profeſtis; mané ad horam ſextam; dein ad horam decimam antemeridianam; demùm ad horam quartam pomeridianam. Diebus verò feſtis, preces Solenniores bis tantùm offerri Volumus, nempe ad horam nonam matutinam, et horam quartam veſpertinam. Poſt preces verò matutinas Concionem in Sacello Volumus ſingulis diebus Dominicis, niſi quòd in Dominicis Quadrageſimalibus Volumus, et Ordinamus, ut Præpoſitus, Socii, Scholares, omneſque Studentes in Collegio commorantes Eccleſiam Cathedralem Sancti Patricii ſolennitèr adeant, ibique Concionem habeant, ſed tempore pomeridiano ſecundùm antiquam Eccleſiæ Conſuetudinem. Singulis autem Diebus feſtis, et eorum Veſperiis, Præpoſitus, cæterique omnium ordinum in mundis Superpellitiis, et Caputiis gradui ſuo (quotquot Graduati ſunt) convenientibus, precibus interſint; nec quiſquam abſque hoc

ornatu intereſſe præſumat ſub pœnâ quinque ſolidorum, totiès quotiès. Formula ſit ea, quæ in publicâ Eccleſiæ Anglicanæ Liturgiâ præſcribitur, niſi quòd in profeſtis diebus, idque ad preces primo manè offerendas, abbreviari, et paululùm immutari volumus, in hunc modum. Primò recitetur una, aut altera è ſententiis Sacræ Scripturæ, unà cum exhortatione ſequente ſecundùm Liturgiam Anglicanam. Deìn legatur Confeſſio, Abſolutio, et Oratio Dominica. Poſt Orationem Dominicam, immediatè ſequatur Symbolum Apoſtolicum unà cum Verſiculis, et Reſponſionibus annexis. His ſuccedant Collectæ pro pace, et pro Gratiâ, deinde fundatur Precatio ad Deum pro benedictione ſtudiorum in hæc verba.

O *Lord Jeſus Chriſt who art the eternall Wiſdome of the Father, wee beſeech Thee to aſſiſt us with thy heavenly grace, that wee may be bleſſed in our ſtudyes this day, and above all things may attayne the Knowledge of Thee, whom to know is life eternall; & that according to the example of thy moſt holy*

holy Childhood, wee may grow in Wiſdome & Yeares and Favour with God, and man, Amen.

Ad extremum poſt preces pro ſalute Regiâ, pro Reginâ, et Regia prole, concludatur cum precatione Sancti Chryſoſtomi, et Benedictione minori, ut habetur in fine Litaniæ. Abbreviationem verò hanc precum idcircò Volumus, ut Scholares, et Diſcipuli citiùs ad Prælectiones in Aulâ, et ad privata muſæa ſeſe conferant.

Et quoniam Locorum Sacrorum reſpectus ipſi Religioni reverentiam conciliat, Sacellum anterius, et interius decorè ſempèr habeatur, non modò in ſartis tectis, feneſtris, et pavimentis, ſed Menſâ Sacrâ decentèr coopertâ, ſedibuſque à ſitu, et pulvere deterſis. Neque in Sacello quicquam, niſi ſacrum perſonare, fas eſto. Et quò hæc meliùs curentur, Volumus, ut è Studentibus pauperioribus, eligatur per Præpoſitum idoneus aliquis ad Sacriſtæ munus obeundum, qui Sacellum, et totum apparatum ſacrum decentèr cuſtodiat, quique horis debitis ad preces publicas cam-

panam pulſet, pro ſalario verò recipiat à Burſario annuatim quatuor libras ſterlingas.

Volumus etiam, et Statuimus, ut è Collegii Studentibus, ſinguli Artium Magiſtri ſive Socii, ſive Sociorum Commenſales, ſive etiam cubiculum in Collegio poſſidentes (modò in ſacris Ordinibus ſint conſtituti, vel ſaltèm Diaconatûs Ordini initiati) ſolenne illud publicarum precum munus (tam horâ ſextâ, quàm aliis) per ſe, aut per alium diligenter obeant. Quòd ſi quis vicem ſuam neque ipſe obeat, neque per alium ſupplendam curaverit, ita ut preces ad horas conſtitutas, vel quamlibet earum omiſſæ fuerint, Nolumus, illi, ullum vel invalitudinis, vel negotiorum prætextum ſufficere, quo minùs quinque ſolidis Anglicanis continuò, et abſque ulteriori cauſæ examinatione, mulctetur. Mulctam verò impoſitam delinquenti, Præpoſitus, vel in ejus abſentiâ, Vicepræpoſitus, aut Decanus exigito, idque pro ratione deſcriptâ in Statuto de mulctis exigendis. Si quis Studentium â precibus abſuerit, puniatur quemadmodùm aliis deinceps Statutis præſcribetur.

Ante

Ante cibum ſive prandio, ſive cænâ ſumendum, benedicat Menſæ unus é Scholaribus ſervientibus ad menſam Præpoſiti, hâc formulâ:

Oculi omnium in te ſperant Domine. Tu das iis eſcam eorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione tuâ. Miſerere noſtri Te quæſumus Domine, tuiſque donis, quæ de tuâ benignitate ſumus percepturi, benedicito per Chriſtum Dominum noſtrum.

Finito Prandio, aut Cænâ Gratias agat hâc Formulâ:

Tibi laus, Tibi honor, Tibi gloria, O Beata, et Glorioſa Trinitas. Sit nomen Domini benedictum et nunc, et in perpetuum. Laudamus Te, benigniſſime Pater, pro Sereniſſimis, Reginâ Elizabethâ hujus Collegii Conditrice, Jacobo ejuſdam munificentiſſimo auctore, Carolo conſervatore, cæteriſque Benefactoribus noſtris, rogantes Te, ut his tuis donis rectè, ad tuam gloriam utentes,

tes in hoc ſæculo, Te unà cum fidelibus in futuro fælicitèr perfruamur, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Tempore prandii quotidiè in Aulâ legatur Caput aliquod Veteris aut Novi Teſtamenti. Lectores, et ſervientes ad Menſam Præpoſiti et Sociorum ſunto Scholares omnes infra Magiſtros in Artibus, qui ſtipendiis Collegii aluntur, per vices, quiſque ſecundùm ordinem ſenioritatis ſuæ, incipiendo à juniori: Initio cujuſque Lectionis pronunciet Lector clarâ voce: *Sic incipit Caput primum, vel ſecundum &c. Geneſeos, vel Exodi, &c.* et eò uſque procedat in lectione, donèc Præpoſitus, ſive Vicepræpoſitus, aut ejus locum tenens pro tempore in Aulâ (vel ad finem Capitis brevioris, vel in medio longioris, quando ipſi viſum fuerit) diſcooperto capite dicet [*Tu autem*] tum ſtatím ſubjungat Lector [*Domine miſerere noſtri*] et cum reverentiâ diſcedat.

Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſecundâ ad minimum Dominicâ cujuſque Termini celebretur per aliquem Socium Seniorem Preſbyterum,

Presbyterum, quem Præpositus, vel eo absente Vicepræpositus ad id munus advocavit. Die etiam Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, et Dominicâ Trinitatis per Præpositum et Doctores in Theologiâ (si qui sint qui in Collegio cubiculum possident) juxta vices suas in propriis personis. Sìn verò Doctor aliquis in Collegio commorandi locum habens recusaverit, ipse loco suo in Collegio privetur, et per Præpositum solum celebretur, si domi fuerit, et sanitate fruatur, eo verò absente, vel sìc impedito, per Vicepræpositum, aut utrisque absentibus, per Socium maximè Seniorem, si Presbyter fuerit. Assistat celebranti quispiam è Sociis, in Ordine saltèm Diaconatûs, à Præposito, vel eo absente, à Vicepræposito assignandus.

De observandis per quosvis Studentes Dominicis, et omnibus aliis diebus festis, ii qui Collegio præsunt, solicitè et diligentèr providento. Locum etiam, et tempus sacris concionibus habendis constitutum singuli Studentes, sepositò omni prætextu, semper servanto, et in eisdem audiendis, se cum reverentiâ, et attentione debitâ gerunto. Si qui abesse,

abeſſe deprehendantur, ii pro qualitate delicti, et perſonarum puniantur. Similitèr, ſi qui Diebus Dominicis, vel Feſtis, otioſè in plateis ſubſtiterint, aut ingrediantur tabernas, aut aliquid aliud ſeſe, et ſolennitate indignum fecerint, in eos animadvertatur. Volumus inſupèr, ut unus è Senioribus Sociis ad Catechiſtæ munus quotannis eligatur, temporè nimirum finalis Computi. Is quolibet die Sabbati, horâ ſecundâ pomeridianâ per ſingulas anni ſeptimanas, in aliquâ parte Catechiſmi, adhibitis interrogationibus, et reſponſionibus, Scholares erudito. Et quod occurrit difficilius intellectu, idem Catechiſta per ſingulas cujuſque Termini ſeptimanas, die, et horâ prædictâ, finitis interrogationibus, et reſponſionibus, illud oratione continuâ accuratiùs tractet, et perſequatur. Quo in munere Catechiſtam ita verſari Volumus, ut ſingulas illas Orationes, ſeu Collationes non producat ultra ſemihoram. Sancimus inſupèr, ut intra ſpatium unius cujuſlibet anni ſingula Catechiſmi capita percurrat, et interpretetur. Catechiſmus verò quem adhiberi Volumus, ſit ille, (et non alius) qui habetur

tur in Liturgiâ Anglicanâ ante Confirmationem Catechumenorum. Hujus Auditores ſunto tam Baccalaurei, quàm omnes ſtudentes juniores.

Porrò Præpoſiti, et Sociorum Seniorum erit videre, ne qua Pontificiæ, aut hæreticæ religionis opinio intra Collegii fines alatur, aut propugnetur, ſive publicè, ſive privatìm. Quod ſi acciderit, Volumus, ut quàm primum impiæ opinionis progreſſus intercipiatur. Præterèa nemo in Sociorum numerum eligatur, qui Pontificiæ religioni, quatenùs à Catholicâ et orthodoxâ diſſentit, et Romani Pontificis juriſdictioni per ſolenne, et publicum juramentum non renuntiaverit.

CAPUT 10.

De Tutorum, ac Pupillorum Officio.

EA EST ferè Academicarum Societatum conſuetudo, ut præter membra cujuſque propria, quoſdam Sociorum Commenſales, Penſionarios, et Sizatores quos appellant,

lant, in Collegia admittant. Quoniam verò juvenilis ætatis imbecillitas provectiorum consilio, et prudentiâ sustentanda est, et moderanda, Statuimus, et Ordinamus, ut nemo, vel ex discipulis, vel in Sociorum convictum admissis, vel Pensionariis, aut omnino studii causâ in Collegio commorantibus, TUTORE careat, eumque ante admissionem Præpositus, aut eo absente, Vicepræpositus, assignabit. Tutor verò nullus erit, nisi aut Præpositus ipse (si voluerit) aut Socius aliquis, Senior, aut Junior. Nec quisquam Sociorum tempore absentiæ, vel invaletudinis suæ deputatum aliquem pupillis assignabit, nisi unum è Sociis, per Præpositum, aut eo absente, Vicepræpositum, approbandum. Quo casu si quis designatus à Præposito fortè renuerit, Volumus, ut pœnam contemptûs adversus Collegii regimen incurrat, et puniatur ad arbitrium Præpositi, et majoris partis septem Sociorum Seniorum, nisi justam recusationis causam afferre possit, ab iisdem approbandam. Ac cum Tutoris officium sit multi laboris, et curæ, quo alacriùs et fideliùs munere suo defungatur, placet, ut quivis pupillus (nisi

(nisi de ipsius inopiâ planè et liquidò constiterit) Tutori suo annuum salarium, gestæ tutelæ nomine persolvat. Summa sit ad electionem Tutoris, modò Scholares Collegii sumptibus sustentati, non solvant ultra viginti solidos, nec Pensionarii ultra quadraginta, nec Commensales ultra quatuor libras annuatim. Placet insuper, ut nemo pro pupillo, re, et actu admittatur, priusquàm Tutori partem dimidiam, et annui Salarii pro tutelâ, et expensarum pro communiis faciendarum in manum tradiderit. Neque admissus retineatur diutiùs, nisi Tutori caveat, de certâ, et expeditâ solutione debitorum, et Collegio debendorum. Pupilli Tutoribus pareant, honoremque debitum, et reverentiam deferant, quorum studium, labor, et diligentia, in illis ad pietatem, et scientiam informandis ponuntur. Tutores quæ discenda sunt, Pupillos suos per singulos dies sedulò doceant, quæque etiam agenda sunt, moneant. Omnia Pupillorum cujusque generis, et ordinis expensa Tutores Collegio præstent, et intra decem dies cujusque mensis finiti, æs debitum pro se, et suis omnibus pupillis Bursario solvant,

quod ni fecerint, tantiſpèr commeatu priventur Tutores omnes, unà cum univerſis ſuis pupillis, dum pecunia ab ipſis pro ſe, et ſingulis pupillis debita ſolvatur. Cautumque eſto, ne pupillus quiſpiam qui aliquid in ſuſtentationem ſuam à Collegio recipit, ſtipendium ſuum à Burſario recipiat, vel rationem per ſe cum eo ineat, ſed utrumque per Tutorem proprium aut ejus deputatum, ſub pænâ commeatûs menſtrui à dicto Tutore Collegio ſolvendi, fieri Volumus. Quod ſi Tutor quiſpiam, aut pupillis ad pietatem, et bonas artes quotidiè erudiendis, aut eorum diſſolutis moribus reformandis, non attenderit; ſi pupillos, vel urbem Dublinienſem frequentare, vel in ſodalitiis aut exercitiis minimè neceſſariis, tempus ſtudiis aptum, et deſtinatum conſumere patiatur; Ordinamus, ut ſi poſt binas admonitiones, majorem in re pupillari curam non adhibuerit, à Præpoſito quinque Solidis mulctetur. Quòd ſi nihilominùs ſe in pupillis erudiendis, et reformandis negligentiùs geſſerit, pupilli, Præpoſiti authoritate ad alterius Tutoris curam tranſferantur.

ferantur. Pupilli omnes, quocunque vocentur nomine, Volumus, ut iiſdem legibus, ac Statutis, quoad mores, et exercitia ſcholaſtica, teneantur, et pareant, quibus diſcipuli et Scholares Collegii expenſis ſuſtentati, et eodem modo, ſi deliquerint, puniantur, exceptis Nobilibus, et filiis hæredibus alicujus Conſiliarii Regii, reſpectu quarundam pœnarum, non autèm vel morum, vel exercitiorum.

CAPUT II.

De morum honeſtate colendâ, itemque de tuenda Collegii exiſtimatione publicâ.

NIHIL eſt, quod literatis plus adferat ornamenti, quàm modeſtia, et morum integritas. Tum ad publicam Collegii exiſtimationem, permagni intereſt, eam opinionem vulgò concipi, vigere in eo curam boni regiminis, ac morum diſciplinam. Idcircò Volumus, ut quilibet ſtudentium, cu-

juſcunque gradûs et conditionis fuerit, ad tuendam Collegii exiſtimationem, et famam ſe accingat, tam vitando ea, quæ illam quovis modo violare poſſe videbuntur, quam iis perſequendis, quæ ipſi conſervandæ et augendæ inſervire queant, et ut contrà facientes pœnas condignas luant. Statuimus igitur, et Ordinamus, ut omnes Scholares, qui Magiſterii gradum non ſunt adepti, coram Sociis intra fines Collegii, tam in atrio, et areâ Collegii quàm in Aulâ, et cubiculis, modeſtè et humilitèr ſe gerant, capitibus denudatis. Eandemque debitam reverentiam, exhiberi ſempèr Volumus Præpoſito præſenti ab omnibus Studentibus, et Scholaribus, et Commenſalibus, et Sociis tam ſenioribus, quàm junioribus, modò non ſint Doctores in aliquâ facultate conſtituti. Volumus inſupèr, ut Præpoſito quemcunque locum conventûs ingredienti, omnes aſſurgant, nec alicubi præſentem ſine aliquâ corporis inclinatione prætereant. Nemo nondùm graduatus in urbem exeat, niſi Tutoris permiſſu ſignificato ſub ipſius chirographo; qui ſecûs fecerit, primo tempore, commeatu

cemmeatu unius hebdomadæ, ſecundo, duarum, tertio, menſis mulctetur, quarto, ex conſenſu Præpoſiti, et majoris partis Sociorum Seniorum, Collegio amoveatur. Seditionis, aut diſſentionis domeſticæ authores, itemque qui alios percuſſerint, læſerint, fraudaverint, allexerint ad popinam aut œnopolium, exceſſum in potu admiſerint, librum, veſtimentum, vel aliquid omninò ſuffurati fuerint, primâ vice, commeatu menſtruo, ſecundâ, trimeſtri mulctentur, tertiâ, Collegio expellantur. Omnes lites domeſticæ, intra Collegium, et cognoſcantur, et ſi fieri poteſt) dijudicentur. Qui foràs verò aliquem in jus vocaverit ſine Præpoſiti, et majoris partis Sociorum Seniorum conſenſu, Collegio amoveatur: Appellationem tamèn ex juſtâ cauſâ gravaminis ad Viſitatores Collegii, non impedimus. Sed ne frequenti Appellatione Collegio dedecus, aut Viſitatoribus nimia creetur moleſtia, licebit iis, ineptè, et de levi appellantem rejicere; appellantem verò in cauſa graviori, et abſque juſto gravamine, licebit Viſitatoribus (ſed conſulto priùs Cancellario Academiæ) ipſum

pro qualitate delicti, ſeveriori pænâ afficere. Statuimus quoque et mandamus, ut Præpoſitus, Socii, Diſcipuli, et cæteri omnes concordiam, unitatem, pacem, et mutuam inter ſe charitatem pro virili alant, foveant, et obſervent. Scurrilitatem, et obſcæna verba, ſcommata, probra, et ſcandala, verbo, et facto omninò vitent, præſertim adverſus eos, qui in Regimine Collegii conſtituti ſunt. Quòd ſi quiſpiam in his deliquerit, arbitrio Præpoſiti, et majoris partis Sociorum Seniorum puniatur. Quod ſi tèr pro illis caſtigatus, non abſtinuerit, Collegio expellatur. Quinetiàm Statuimus, ne quis Collegii muros, aut ſepimenta tranſcendat, aut fores, feneſtraſve diffringat; qui ſemel fecerit, ſi ætate adultus fuerit, commeatu trimeſtri privetur; ſi ætate puer, virgis caſtigetur; qui autem bìs, Collegio amoveatur. Eâdem pænâ mulctentur, qui aliorum pomaria expilaverint, vel in domos oppidanorum, aliorumve aliquam vim exercuerint. Porro aleæ, et chartarum ludo nemo in Collegio omninò utatur, niſi tempore ſolennitatis Natalitiorum Domini, idque publicè in Aulâ

Aulâ Collegii; ſecus-facientes poſt tertiam admonitionem à Collegio amoveantur. Nemo canes venaticos, accipitres, aut aves vocales in Collegio nutriat, teneatve; neque aucupio, neque venationi ſit deditus; qui contra fecerit, puniatur, ut ſuprà dictum eſt. Nulli luſus diſcipulis in areâ, vel hortis Collegii permittantur; nec diſcipulorum ulla fiant in areâ conventicula, nec ibi colloquendi cauſâ moram faciant, neque in Aulâ niſi tempore merendæ, dum ſimul bibunt. Poſt prandium verò et cænam, ex aulâ ſine morâ diſcedant. Neque quiſquam Sociorum, Scholarium, vel Studentium cujuſcunque ordinis, et gradûs fuerit, in urbe pernoctet, nec in alterius cubiculo, niſi petitâ à Præpoſito, aut eo abſente, à Vicepræpoſito veniâ. Qui in his deliquerit, primò, à Præpoſito per ſeptimanam; ſecundò, per quindenam; tertiò, per menſem commeatu privetur; quartâ vice, per Præpoſitum, et majorem partem Sociorum Seniorum Collegio privetur. Statuimus porrò, ut nemo Sociorum, aut Diſcipulorum extra Aulam prandeat, cænetve, niſi petitâ à Præpoſito, aut eo abſente,

Vice-

Vicepræpoſito, veniâ; qui ſecùs fecerit pro prandio aut cænâ ſolvat totiès quotiès. Præpoſito tamen licebit (quotiès ei viſum fuerit) in cubiculo prandium, vel cænam ſumere. Hortamur tamèn, ut id parciùs velit. Quinetiam ſi cujuſvis, vel inſolentiori conſuetudine vitæ intra domeſticos Collegii parietes, aut alibi, vel frequentiori in urbem Dublinienſem profectione, vel tabernarum, ſive ædium ſuſpectarum frequentatione, evenerit, ut Collegium publicè malè audiat; Volumus, et Ordinamus, ut is coram Præpoſito, et Sociis Senioribus citatus, à Præpoſito pro primâ vice admoneatur tantummodò, et increpetur (niſi crimen ejuſmodi fuerit, de quo cautum eſt Statuto, de pænâ majorum criminum); ſecundò, ſi admonitus non abſtinuerit, per quatuor ſeptimanas commeatu ſuo privetur. Quòd ſi in idem crimen tertiò incurriſſe conſtiterit, expellatur. Statuimus etiam, atque Ordinamus, ut Socii, et Diſcipuli, Commenſales, cameram in Collegio poſſidentes, Studenteſque omnes, et ſinguli habeant TOGAM, eâque ſemper utantur, et in Collegio, et in Urbe Dublinienſi; ut nemo togatus

ocreis

ocreis utatur, aut veſtitu, capillitio, inceſſu, ad pompam Aulicam ſe componat, ſed unuſquiſque modeſtiam et gravitatem ordini ſuo convenientem, et Academico dignam ſectetur. Permittimus verò, ut ſinguli ſtudentes cujuſcunque gradûs, et conditionis (modó non Sacris Ordinibus initiati fuerint) extra Academiam, et urbem Dublinienſem pro arbitratu veſtiantur, dummodò decentèr, et veſtimentis obſcuri cujuſpiam coloris induti incedant. Quòd ſi quis hoc violaverit, primò, ſex denariis mulctetur; ſecundò duodecim; tertiò, duobus ſolidis; quartò, pro qualitate contumaciæ puniatur. Porrò Statuimus, et Ordinamus, ut nullus prædictorum armis, aut telis, veluti gladiis, ſicis, aut pugionibus in Collegio, aut in urbe utatur, ſub pænâ, primò, commeatûs duarum hebdomadarum, ſecundó, menſtrui, tertió, amotionis perpetuæ à noſtro Collegio. Nemini item licebit, equum intra ambitum, ſeu ſitum Collegii alere, ſeu habere, exceptis Præpoſito, et Sociis qui Eccleſiaſtica Beneficia poſſideant extra urbem Dublinienſem; qui ſecus fecerit,

puniatur

puniatur à Præpoſito quinque Solidis hebdomadatìm, donec huic Statuto morem gerat.

CAPUT. 12.

De Officio Vicepræpoſiti.

QUIA neceſſariò cautum eſt de morum honeſtate tuendâ, cui nec Juniores ſatìs fidi Tutores ſunt, nec ſolus Præpoſitus poteſt omnia, neceſſarium exiſtimamus præter Præpoſitum, eam quibuſdam aliis etiam curatoribus demandare. Quoniam igitur Præpoſitus, neque ſemper adeſſe, neque ſolus tantæ regiminis moli par eſſe poteſt; Volumus, ut e Senioribus Sociis quotannìs, tempore nempè finalis Computi, eligatur aliquis ad officium Vicepræpoſiti, per Præpoſitum, et majorem Partem Sociorum Seniorum. Sed quia officium hoc, ægrotante, vel abſente Præpoſito, multùm conducit ad regimen, et pacem Studentium, neminem Volumus ad hoc munus eligi, niſi conſentiente, et

et approbante Præpoſito. Hic, ſicut præfertur, electus, Præpoſito in Collegii regimine, loco, et honore proximus erit. Quotiès verò, aut deeſt Præpoſitus, aut abeſt à Collegio, ſempèr præſideat, et primas teneat, ejuſque in cultûs divini, ordinis, modeſtiæque conſervatione vicem gerat. Provideat itaque Vicepræpoſitus ſolicitè, ne qua vel intermiſſio fiat frequentandi preces, audiendi conciones, præſtandi in Collegio cujuſcunque generis ſcholaſtica Exercitia; ne obrepat incuria inquirendi de iis, qui urbem Dublinienſem frequentant, qui in eâdem pernoctant, qui diſſoluto vitæ genere, ſcandalum, et dedecus regimini, et diſciplinæ Collegii creant. Ordinis etiam prandii, cænæque tempore, conſervationi ſolicitè proſpiciat, et ne quiſquam alio ſermone, quam Latino utatur, aut vocem nimis intendat, aut immodeſtè omninò ſe gerat, aut exeat ante gratiarum actionem, niſi veniâ ob exigentiam aliquam petitâ. Quòd ſi iſtiuſmodi delicta committi intellexerit, vel alia Statutis vetita, curabit ſedulò, ut delinquentes puniantur ſecundùm Statuta. Cætera, quæ ad Officium Vicepræpoſiti

positi pertinent, variis suprà, infrâque Statutis exponuntur.

CAPUT. 13.

De Officio Decanorum.

QUO meliùs verò et pietas erga Deum, et morum probitas, honestasque conservetur, Statuimus, et Ordinamus, ut duo è Sociis quotannis, tempore nempe finalis Computi, in Decanos eligantur; unus è Senioribus Sociis, qui et Senior Decanus appellabitur, cujus speciale officium erit, disputationes Theologicas moderari; alter è Sociis Junioribus, qui Junior Decanus vocabitur, qui Seniori assistat in omnibus, quæ ad officium Decani pertinent, exceptâ moderatione disputationum. Horum autèm Officium esse Volumus, Dei imprimis cultum piè, religiosè, et decentèr exequendum curare; videre, ut omnes Socii, Discipuli, Pensionarii, ac Sizatores, diebus Dominicis, vel festis, precibus, et concionibus, nec non Sacræ Communioni, quotiès

tiès celebratur ; diebus autem profeſtis, precibus matutinis, et veſpertinis ad horas conſtitutas interſint ; Socios, ſi qui à Sacro Dei cultu abfuerint, obſervare. Si quis Sociorum Seniorum, aut Doctorum, aut Baccalaureorum in Theologiâ abſuerit à precibus Solennibus, diebus Dominicis, vel Feſtis, vel eorum Vigiliis, ſive ſit à matutinis, ſive veſpertinis, puniatur à Præpoſito, vel eo abſente, à Vicepræpoſito ſex denariis, niſi cauſam juſtam abſentiæ ei probaverit ; ſi quis verò Juniorum Sociorum, vel Magiſtrorum, à Seniore Decano totidem. In diebus profeſtis, Volumus etiam omnes Socios, Scholares, et Studentes precibus, horâ decimâ antemeridianâ, et horâ quartâ pomeridianâ (ceſſante impedimento legitimo, à Præpoſito, aut eo abſente, Vicepræpoſito, vel Decano ſuo approbando) intereſſe, ſub pænâ trium denariorum Sociis ut ſuprà ; unius, reliquis Studentibus adultis infligendorum. Precibus veró matutinis circa horam ſextam adeſſe cupimus omnes, et ut adſint, hortamur. Obligamus tamen ſolùm Baccalaureos Artium, et non-graduatos omnes ; et abſentium pæna

esto arbitraria. Porro Volumus, ut omnes Discipuli, Pensionarii item, ac Sizatores absentes à precibus diebus Dominicis, vel Festis, vel eorum Vigiliis, aut ante eas finita sexeuntes, nisi veniâ priùs petitâ, si fuerint adulti (hoc est si decimum octavum annum compleverint) singuli duobus denariis, tardè autem venientes obolo mulctentur. Si autem eum ætatis annum, quem diximus, non confecerint, in Aulâ die Veneris, horâ quintâ pomeridianâ pro arbitrio Decani, tam pro absentiâ in Festis, quàm profestis, virgis, vel alio modo corrigantur. Quòd si Præpositus ipse observaverit, aut à Decanis acceperit (hos enim nomina eorum qui sæpius abfuerint, ad ipsum deferre Volumus) aliquem cujuscunque ordinis vehementèr negligentem esse, coram Decanis admonebit, et si tertio admonitus, se non emendaverit, Collegio expellet. Præterea Statuimus, et Ordinamus, ut Baccalaurei correctionibus die Veneris nunquam interesse cogantur, sed Decanus tamèn eorum nomina scripta in schedulâ habeat à monitore traditâ, ut videat, quotiès Festis diebus, vel profestis quisque eorum abfuerit, tardiusve venerit,

venerit, et abſentes duobus denariis, tardè autem venientes mulctet denario. Et ſi ſæpiùs peccent, correctionibus proximis interſint, et publicè in Aulâ, et ſuper Themate aliquo, ab alterutro Decanorum aſſignato Orationem habuerint. Tardos venire eos dicimus, qui aut poſt Orationem Dominicam finitàm tempore precum veſpertinarum Sacellum introeunt, aut qui manè poſt primum Pſalmum finitum veniunt. Quod ſi qui in inferiori parte Sacelli maneant, et Chorum non ingrediantur, perinde puniantur, ac ſi abſentes fuiſſent. Die autem Veneris, horâ quintâ (Cœnam enim eâ nocte Nolumus) ſemper Correctiones per Decanos inſtituantur, quibus omnes Diſcipuli interſint. Qui autem dum eædam peraguntur, nomini interrogatus non reſponderit, et ad finem non permanſerit, ſi adultus denario mulctetur, ſi puer fuerit, arbitrio Decani caſtigetur. Deinde eodem tempore, Monitor per vices quâlibet ſeptimanâ conſtituatur à Decanis, qui et Baccalaureorum, et aliorum Diſcipulorum nomina ſedulo notet, et quotiès deliquerint abſentiâ â precibus, vel alitèr.

Aliqui etiam è Scholaribus conſtituantur, qui dejerantes, otioſos, emanſores in urbe, rixantes, et in ganeis perpotantes, aut moribus quovis modo Collegium dehoneſtantes, ad Decanos deferant. Quòd ſi quiſpiam Sociorum, aut Diſcipulorum ægrotaverit, aut gravi cauſâ per alterum Decanorum approbandâ, impeditus fuerit, eum neutiquam pro rebus ſupra dictis mulctari volumus. Decani autem Collegio ne ſimul abſint, niſi graviſſimâ de cauſâ, eâque à Præpoſito, vel eo abſente, Vicepræpoſito, cum majori parte Sociorum Seniorum approbandâ. Denique à Collegio neuter diſcedat, niſi fidum et diligentem Deputatum, à Præpoſito, vel eo abſente, Vicepræpoſito approbandum ſubſtituat, ejuſque nomine in Regiſtro (uti in Statuto de exitu è Collegio ordinatum eſt) conſcripto. Volumus inſupér, et Ordinamus, ut Decanorum alter cum duobus aut tribus è Sociis (ſi ita illi viſum fuerit) ſingulis Septimanis tér ad minimum Diſcipulorum cameras, quâ horâ placuerit, ſed præcipuè veſperi poſt cœnam, ante ſomni capiendi tempus inviſat, ut an intùs ſint, et quomodò ſe gerant

rant Diſcipuli, intelligat. Si quos vel abeſſe à cameris ſuis, vel immodeſtiùs, vel contra bonos mores ſe in iiſdem, aut alibi gerere, aut negligentiùs in ſtudiis verſari deprehenderit, licebit ei pro arbitrio delinquentes punire, niſi de pænæ qualitate, et genere, alitèr in Statutis proviſum erit.

CAPUT 14.

De primario Lectore, et Sublectoribus.

QUONIAM ad juventutem non modò in pietate, et virtute excolendam, ſed etiam in bonis artibus erudiendam, hoc Collegium inſtitutum eſt; Lectores quoſdam conſtituendos, et pro ætate, captuque, et profectu ingeniorum certas Claſſes, variaque exercitia ſcholaſtica duximus ordinanda. Atque imprimis Lectorem quendam primarium è Senioribus Sociis quotannis eligi Volumus, tempore nempe finalis Computi, cujus munus eſto, ſolicitè videre, ut Prælec-

tores inferiores ſinguli, locum, tempuſque prælegendi quotidiè, et diligentèr obeant; et ſi quandò aliqua prælectio intermittatur, de intermiſſionis cauſâ cognoſcere, eamque ſi minùs juſtam eſſe compererit, ad Præpoſitum rem deferre, aut eo abſente, ad Vicepræpoſitum, ut in dilinquentem ſecundùm qualitatem delicti animadvertatur. Diſcipulos cujuſcunque generis, quos abeſſe deprehenderit à prælectionibus, diſputationibus, declamationibus, et aliis ſcholaſticis exercitiis, quibus intereſſe tenentur, denario puniat. Diſputationes, et declamationes Scholarium, et Baccalaureorum curabit ſuis temporibus, et locis præſtandas, et earum ipſe Moderator eſto. Ac proinde Volumus theſes diſputandas et declamandas præſcribi ab eo, et præſtari à quolibet Baccalaureorum, Scholarium, cæterorumque ſtudentium reſpectivè, per vices ſuas, incipiendo à juniore. Prælector cujuſvis Claſſis inferior (quem à Præpoſito ſolo quotannis eligi Volumus, ſed tempore prædicto) horæ ad prælegendum conſtitutæ partem alteram prælectioni, alteram examinationi diſcipulorum tribuat. In

examina-

examinatione Volumus, ut interrogationibus, et reſponſionibus rem eandem clariùs explicet, repetat, et ſæpiùs inculcet, nec ſibi ipſi antè ſatisfaciat, quàm Diſcipulus rem propoſitam aliquatenùs animo, et intelligentiâ comprehenderit. Uſum præceptorum oſtendet, et urgebìt. Ordinamus inſupèr, et Volumus, ut Prælector quivis inferior ſolicitè obſervet, et attendat quemadmodùm diſcipuli ſuæ Claſſis ſe gerant, ipſius Lectionis tempore, et in negligentes animadvertat. Porro ſi obſervet ipſe, aut ab aliis audiverit, diſcipulum aliquem, vel urbem Dublinienſem frequentare, vel horas ſtudiis deſtinatas, in otio, et luſu, in Collegio, campiſve conſumere, adeo ut officio ſcholaſtico non ſatisfaciat, Volumus, ut Prælectori primario delictum deferat, qui delinquentem puniat, non modò ſi prælectioni, cui intereſſe oportebat, non interfuerit, aut ad eandem tardiùs acceſſerit, ſed etiam ſi negligentiùs attenderit.

CAPUT

CAPUT 15.

De claſſium ſcholaſticis exercitiis.

CLASSES ſunto quatuor, in quas ii qui nondum ſunt graduati diſtribuantur. Communia omnium Claſſium exercicia ſunto hujuſmodi :

COMMENTARIUS in præcepta diſciplinæ prælectæ ſermone latino, per ſingulas ſeptimanas conficiendus, et Prælectori oſtendendus.

THEMA aut VERSIO ex Anglico in Latinum per ſingulas item ſeptimanas. Thema, aut Verſionem Prælector et quidem expreſſè præſcribat, et quovis Die Sabbati exercitium factum repetat à Diſcipulis ſuis.

DECLAMATIO. Bini ſingulis ſeptimanis declament per vices, idque memoritèr in Aulâ, die Sabbati, aut Veneris, poſt peractas preces matutinas. Theſis tractanda eſto è morali aut politicâ diſciplinâ.

Omnes Claſſium diſcipuli (ſi commodè fieri poteſt) in Græcis, et Hebraicis erudiantur

tur à Prælectoribus ad id munus conſtitutis. Volumus enim, ut quotannis (ſcilicèt tempore finalis Computi) eligantur per Præpoſitum, et majorem partem Sociorum Seniorum duo Prælectores græci, unus è Sociis Senioribus, qui tèr in unaquâque ſeptimanâ cujuſque termini, diebus nempe Lunæ, Mercurii, et Veneris, ad horam ſeptimam matutinam publicè in Aulâ præleget. Hujus Auditores ſunto omnes Baccalaurei in Artibus, unà cum Diſcipulis tertiæ et quartæ Claſſis. Alter verò ſumatur è Sociis Junioribus, aut Magiſtris qui tèr etiàm in ſeptimanâ diebus prædictis, ſed ad horam nonam antemeridianam præleget. Cujus Auditores ſint juniores omnes Scholares primæ et ſecundæ Claſſis. Et quando viſum fuerit alicui Benefactori fundare, et dotare Hebraicam prælectionem, Prælector eligatur è numero Sociorum Seniorum, ſi quis inter eos idoneus reperiatur, alitèr Juniorum, qui tèr etiam in ſeptimanâ, diebus nempe Martis, Jovis, et Sabbati, ad horam primam pomeridianam Hebraicum præleget in Aulâ, et eoſdem

eoſdem habeat Auditores quos Senior græcæ linguæ Prælector.

CLASSIS PRIMA.

IN hâc Claſſe Dialectica prælegitor, et nominatim Porphyrii Iſagoge, quam bis ad minimum quotannis integram prælegi Volumus. Diſcipuli hujus Claſſis rationem reddant cujuſlibet prælectionis. Et idcircò Nolumus Prælectorem procedere ad ſecundum prælectionem, donèc adhibitis interrogationibus, et reſponſionibus, examinaverit diſcipulos, quomodò profecerint in priori. Quem morem etiàm obſervari Volumus per ſingulas Claſſes.

CLASSIS SECUNDA.

PRÆLECTOR ſecundæ Claſſis quamlibet partem Organi Ariſtotelis explicabit, et quàm breviſſimè, non divagando poſt Commentatores à contextu.

CLASSIS TERTIA.

PRÆLECTOR tertiæ Claſſis præleget quamlibet partem Phyſicorum Ariſtotelis, et brevitèr, ut ſuprà.

CLASSIS

CLASSIS QUARTA:

IN Claſſe quartâ Ariſtotelis Metaphyſica explicentur, excepto tempore Quadrageſimali, quo ſempèr Volumus, ut Prælector hujus Claſſis prælegat Ariſtotelis libros Moralium ad Nicomachum, vel aliquam partem eorundem. Diſcipuli cujuſque Claſſis per ſingulas Termini hebdomadas diſputabunt tèr in ſeptimanâ: nempe prima et ſecunda Claſſis de queſtione è Logicis deſumptâ. Tertia verò et quarta de queſtione è Naturali philoſophiâ vel Metaphyſica, petitâ, et à Prælectore inter legendum pridiè diſputationum, aſſignandâ. Auditores cujuſlibet Claſſis reſpondebunt, et opponent per vices, incipiendo à juniore. Et quia Volumus, ut Logica logicè, id eſt, pugnis tractentur, non palmâ Rhetoricâ, prohibemus omnes Poſitiones, vel Suppoſitiones prævias, tam ex parte Reſpondentis, quam Opponentium, ſed ſtatìm congrediantur. Openentes verò (quos ad minimum quatuor eſſe Volumus) argumenta ſua ſyllogiſticè proponent, de quo Reſpon-

Reſpondens, et Moderator videto. Diſputatio intra horam concluditor. Dies præſtandis diſputationibus aſſignati ſunto dies Lunæ, Mercurii, Veneris, ab horâ ſecundâ pomeridianâ ad quartam. Si quis autem ex his vicem ſuam in diſputando, aut declamando omiſerit, ſex denariis ob omiſſionem prioris, duodecim ob poſterioris mulctetur, ſi adultus fuerit; ſin puer, pro qualitate ſuâ caſtigetur. Si utrobivis negligentiùs ſe quiſquam geſſerit, et Claſſe ſuâ indignè, deturbetur ad inferiorem, aut ſi infimæ ſit, imus ſit iſtius Claſſis. Quod ſi non obſtantibus mulctis, et caſtigationibus prædictis, quiſpiam vehementèr negligens fuerit, in his agendis, aut audiendis ad quæ per Statuta obligatur, Volumus, ut Nomen ejus per primarium Lectorem, aut Sublectorum aliquem, ad Præpoſitum deferatur, qui accitis Decanis ipſum âdmonebit, et ut ſuprà, poſt tertiam vicem expellet.

CAPUT

CAPUT 16.

De Baccalaureorum et Magiſtrorum Exercitiis.

BACCALAUREI in Mathematicis, et Politicis à Prælectore inſtituantur. Diſputationem quolibet die Martis horâ ſecundâ pomeridianâ per ſingulos Terminos bini præſtent, è Mathematicis, Phyſicis, aut Metaphyſicis, et declament manè in Aulâ quolibet die Sabbati, horâ ſeptimâ matutinâ, durante Termino. Qui in utrovis exercitio vicem ſuam non obierit, pro quâlibet omiſſione mulctetur duobus ſolidis. Statuimus etiâm et Ordinamus, ut quilibet in Artibus Magiſter, per vices, quolibet die Solis, et Veneris, tàm in Termino, quam extrà, ſtatim à finitis precibus aliquem è Scripturâ textum ad modum Theologicæ concionis tractet; Nolumus tamèn ut excedat dimidiam horæ partem; et in hâc tam gravi et utili exercitatione omnibus et ſingulis Artium Magiſtris præcipimus, ut Audi-

tores ſuos in fide et bonis moribus ædificare ſtudeant. Si quis autem contra fidem, bonos mores, aut diſciplinam in Eccleſiâ Anglicanâ, et Hibernicâ ſtabilitam aliquid docuerit, pro qualitate delicti ad arbitrium Præpoſiti, et majoris partis ſeptem Seniorum puniatur. Proviſo tamen quod ad expulſionem non procedant niſi in gravem hereſin quis inciderit, et animo obfirmato in eâ perſtiterit. Statuimus inſuper ut Artium Magiſtri, etiam ii, qui in Theologiâ Doctoratum, aut Baccalaureatum adepti ſunt, per vices præſtent diſputationem aliquam de binis quæſtionibus Theologicis quovis die Jovis, horâ ſecundâ pomeridianâ, niſi dies feſtus ſit. Deinde quod ad Theologicam diſputationem attinet, Ordinamus, et Volumus, ut quæſtio diſputanda ſit quæſtio plerunque inter Proteſtantes, et Pontificios controverſa, quæque tempeſtivè ad Moderatorem delata ab ipſo, aut Præpoſito approbetur. Unus tantùm ſit Opponens. Alter, qui theſi ſuâ brevitèr explicatâ, et confirmatâ reſpondeat. Iidem, ſi fieri poteſt, proximâ ſeptimanâ, vice verſâ curſum complento. Hujus diſputationis Senior

nior Decanus Moderator esto; nisi disputatio fuerit pro gradu in Academiâ obtinendo; in quo casu Professor publicus Theologiæ Moderatoris officium in se suscipiat. Quod si Moderatoris culpâ (Senioris nempe Decani) disputatio non processerit, pœnam utrique disputantium, si deficerent, debitam ipse luet. Illi tamen nihilominùs proximâ septimanâ disputare tenebuntur. Sin verò deficiente Opponente, Respondens adfuerit, et thesi explicatâ ad defensionem se paraverit, etiam nemine opponente, officio satisfecerit. Volumus etiam, et Statuimus, ut singuli in Artibus Magistri, tam Commensales, quàm Socii (exceptis iis, qui Jurisprudentiæ, et Medicinæ nomen dederunt) semper ante elapsum à suscepto Presbyteratûs Ordine, biennium, in Ecclesiâ aliquâ urbis Dublinensis parochiali bis concionentur; ante exactum verò triennium, unam in Ecclesiâ Cathedrali sanctæ, et individuæ Trinitatis concionem habeant, idque per se, non per alium, et post annos quatuor expletos, concionem in prædictâ Cathedrali semèl quotannìs præstent, quamdiù locum aut cameram in Collegio obtinent. Quòd si quis contra hanc legem

deliquerit, nisi morbo graviori impeditus aut ab Archiepiscopo Dublinienſi, aliisve quorum intereſt, prohibitus, aut aliâ inductus cauſâ quæ Præpoſito, et Seniori Decano meritò poſſit ſatisfacere, Volumus, et Ordinamus ut pro ſingularum concionum ab ipſo requiſitarum omiſſione, quadraginta ſolidis mulctetur. Si quis autem, ſive Graduatus fuerit, ſive non, exercitium ab alio compoſitum (ſive in artibus id fuerit, ſive, in Theologiâ) pro ſuo in publicum deducat, Volumus, ſi de admiſſâ hujus generis fraude conſtiterit, ut tam author excercitii, quàm is qui alienæ induſtriæ fructum pro ſuo exhibet, ad arbitrium Præpoſiti, aut eo abſente, Vicepræpoſiti puniatur, et inſupèr ad præſtationem ejuſdem exercitii teneatur. Quod etiam ſempèr intelligi Volumus, quotiès exercitium aliquod debitum à quoquam omittitur. Statuimus etiam, quòd ſi quis vicem ſuam in Loci-communis tractatione, aut diſputatione Theologicâ obeundâ, ſupplere nequeat, tenebitur nihilominùs per alium aliquem Præpoſiti, vel eo abſente, Vicepræpoſiti judicio idoneum, eandem præſtare. Quòd

ſi

ſi intra unius anni ſpatium unum Locum-communem in propriâ perſonâ non tractaverit, aut intra biennium Opponentis, et reſpondentis vicem ſimilitèr non obierit, quâcunque de cauſâ id evenerit, Collegio privatum Volumus. Qui negligentèr, aut ſcurrilitèr, aut gradu ſuo, et re ipſâ, quovis modo indignè, utrumvis exercitium præſtiterit, Præpoſiti, vel eo abſente, Vicepræpoſiti cenſuræ ſubjicitor. Qui alteram Loci-communis tractationem, aut alteram diſputantis vicem omiſerit, octo Solidis à Præpoſito, vel eo abſente, Vicepræpoſito, puniatur; qui ex toto utrobivìs defecerit, ſexdecim Solidis. Qui verò non obſtantibus mulctis prædictis, alteram Loci-communis, aut diſputationis vicem omiſerit, una cum iteratâ mulctâ admoneatur. Tertiò, duplicatâ mulctâ iterùm admoneatur. Quarto, à Collegio amoveatur. Eâdem ratione cum Baccalaureis agi Volumus, ſi non obſtantibus mulctis ipſis impoſitis, vicem omiſerint.

CAPUT 17.

De Terminis obſervandis, et de examinando Scholarium in Diſciplinis progreſſu.

TERMINI in quibus publicè à Studentibus exercitia præſtari Volumus, pro quatuor anni partibus, quatuor ſunto: Terminus Hilarii, ſive purificationis Beatæ Mariæ, initium ſumat die Lunæ poſt Epiphaniam, exitum verò die Sabbati Dominicam Palmarum precedente. Terminus Paſchæ inchoetur die Lunæ poſt Dominicam in Albis, deſinat verò in Vigiliâ Pentecoſtes. Terminus Trinitatis incipiat die Lunæ poſt Dominicam Trinitatis, et finiatur Julii octavo. A Julii verò nono uſque ad initium Termini Sancti Michaelis, Interſtitium fiat, ſive Vacatio: niſi quòd per tempus illud, Diſputationes frequentiùs habeantur omnium Tyronum, quibus meliùs præparentur ad ſtudia Logices, omnium etiam primæ, et ſecundæ Claſſis.

Claſſis. Denique Terminus Sancti Michaelis incipito Octobris primo, modò in Domicam non inciderit, et finiatur Decembris decimo ſexto. Quoniam vero frequenti examinatione efficitur, ut diſcentium ſtudia, et progreſſiones in bonarum Artium diſciplinis majorem in modum promoveantur, Volumus, ut quatèr quotannìs, nempè in cujuſvis Termini principio, ſingularum Claſſium Diſcipuli publicè in Aulâ congregati examinentur, quomodo profecerint in earum Artium cognitione quibus ſtuduerint, aut ſtudere debuerint Examinatores ſunto ſinguli Artium Magiſtri, ſive Socii fuerint, ſive Penſionarii, Doctores etiam, et Profeſſores cujuſcunque facultatis, ſi modò ipſis videbitur; ſed illi preſertìm, qui eligentur per Præpoſitum, et primarium Lectorem. Examinationi huic biduum tribuatur. Manè horæ duæ, ab octavâ ſcilicet ad decimam; et à prandio item horæ duæ, à ſecundâ nempè ad quartam. Si factâ examinatione, Diſcipulus quiſpiam ſe in ſtudiis negligentiùs geſſiſſe comperiatur, re cum Præpoſito communicatâ, Volumus, ut eam pænam ſuſtineat, quæ Præpoſito, et Lectori

toi primario videbitur digna, quâ tantæ negligentiæ crimen notetur, et corrigatur. Quòd ſi de pæna expulſionis, ſive amotionis agatur, Volumus rem dijudicari, et tranſigi per Præpoſitum, et majorem partem Sociorum Seniorum. Et ſi quis non tantùm profeciſſe videatur, quantum à mediocri ingenio, et induſtriâ expectari poterat, Volumus eum ſenioritatis ſuæ gradum amittere, et in claſſem inferiorem dejici. Si hâc ignominiâ non corrigatur, ſed poſt duorum Terminorum experimentum, melioris frugi non ſit, ſed prorſùs incorrigibilis videatur, tum eum ſine ulteriori monitione à Collegio amovendum decernimus.

CAPUT. 18.

De admittendis in Collegium profeſſionibus Juriſprudentiæ, et Medicinæ.

QUONIAM profeſſiones Juriſprudentiæ, ac Medicinæ, et Chartæ fundationis iſtius

iſtius Collegii, et Collegiorum apud Anglos receptis legibus conſentaneæ ſint, quippe quæ non ſolum mirificè ornent Societatem ſtudentium in quam admittuntur, ſed etiàm ſingularem utilitatem ſecum afferant Eccleſiæ, et reipublicæ; ideò licitum eſſe Volumus, et Statuimus, ut pro arbitrio Præpoſiti, et majoris Partis Sociorum Seniorum, è Sociis unus ad profeſſionem Juriſprudentiæ; alter ad ſtudium Medicinæ divertatur. Neminem vero volumus in hæc loca eligi, niſi Magiſtrum in Artibus. Nominatio verò illa, ſive deſignatio Socii alicujus in Juriſtam, vel Medicum, erit intra ſeptimanam poſt mortem, reſignationem, vel quamcunque ceſſionem Juriſtæ, vel Medici præcedentis. Neminem autem Volumus invitum cogi ad ſtudia hæc, ſed eligatur aliquis, qui Profeſſiones illas reſpectivè ſibi optat, modò talis inveniri poſſit inter Socios. Sin verò nullus velit libentèr hæc ſtudia amplecti, omiſſâ Theologiâ, in eo caſu, Volumus, ut ſempèr eligatur Socius, qui inter Magiſtros in Artibus junior eſt. Qui autem

tem ſic eligitur, ſi nolit profeſſionem illam in Se ſuſcipere, amoveatur ipſo facto ab hoc noſtro Collegio. Quod verò ad diſputationes, et exercitia attinet, requiſita à Theologis, durante quovis Termino, Nolumus ea Juriſperito, aut Medico remitti, ſed ab utroque præſtari. Communes verò Loci ab iis non præſtabuntur. Volumus inſupèr, ut et Juriſta, et Medicus poſt ſecundum profeſſionis Annum, ſemèl quovis Termino in ſuâ facultate prælegant.

CAPUT 19.

De Burſarii officio.

DE pietate, probitate, et doctrinâ hactenùs ſtatutum eſt. Quoniam verò ſine rei familiaris providâ adminiſtratione, adeò non Collegium, ut ne privata quidem domus, conſiſtere poſſit ; Statuimus, et Ordinamus, ut è Sociis Senioribus quiſpiam frugi, integer, nec impar rebus gerendis, à Præpoſito,

ſito, et majori parte Seniorum pro Burſario eligatur. Cujus officium ſit, reditus, et quæcunque in univerſum debentur Collegio recipere, et quæ opus erunt, in uſus Collegii expendere, ſed non ſine conſenſu Præpoſiti, aut eo abſente, Vicepræpoſiti. Is officium ſuum exerceat ſtatim ab electione, et admiſſione ad illud officium ſub juramento, et cautione Collegio præſtitis. Summa verò per Præpoſitum et majorem partem Seniorum aſſignabitur. Computum autem præcedentis anni cum ſuo permiſceri non patiatur. Quotiès igitur Burſarius à Collegii Tenentibus, vel ab aliis nummos Collegio debitos receperit, apocham teſtem ſolutæ pecuniæ conficito; ſed nunquàm ſolus, verum ſubſcribente etiam Præpoſito, aut ejus Vicem gerente, vel Decano. Quicquid verò receperit, eodem die in communi ciſtâ reponatur. Sitque in eâdem ciſtâ codex rationum, in quem adſcripto receptionis die, referatur ſumma recepta, et à quo ſoluta ſit, et quo nomine, et utrum ſit integer reditus anni, an pars aliqua, aut ſi quid fortè antèa debebatur. Cum pecuniæ aliqua ſumma è communi

muni Collegii ciſtâ expromitur, ſive ad ordinarias diætæ expenſas, ſive ad perſolvenda ſalaria, ſive ad reparationes ædificiorum, aut utenſilium, aut quâcunque demum de cauſâ, Volumus, ut eam Burſarius in Codicem prædictum ſcribat, et id ſubſcriptâ manu teſtetur, nec eâ ad alios uſus abutatur. Codicem præterèa privatum, expenſorum, et receptorum, penès ſe habeto, et in eum omnia à ſe accepta, et expenſa fidelitèr per ſingulas ſeptimanas referto. Ad Burſarii Curam pertineto, ut Sociis, Scholaribus, et reliquis Collegii ſtudentibus, de alimentis ordinariis in Aulâ ſumendis rectè provideatur, atque ut ea in Aulâ prandii cænæque tempore, ordine diſpenſentur. Ac proinde Volumus, obſervari ab eo inferiorum Officiariorum actiones, ut ſi quandò officio defuerint, eos admoneat, increpetque, ac, niſi gravius delictum fuerit, poſſit ſolus pro ſuo jure in eos animadvertere.

Et cum miniſteria quorundam pauperum ſtudentium, ſeu Sizatorum ſint neceſſaria tam Sociis, eorumque Commenſalibus, quâm ad menſas Scholarium et Penſionariorum, Volumus et Statuimus, ut unicuique Sociorum unum

unum ex his in Collegium admittere liceat, (modò idoneus ſit Auditor Logices) et octo prætereà vel plures à Præpoſito, ſi ipſi viſum fuerit, deſignentur. Nolumus tamèn (ne oneri ſint Collegio) ut numerum trigeſimum eodem tempore unquàm excedant. Ex his aliquot conſtituat Præpoſitus, qui Scholarium menſis miniſtrent.

Nemini extra Aulam prandenti, cænantive Burſarius communias concedito, niſi conſtiterit ei, veniam prandendi, aut cænandi extra Aulam à Præpoſito, aut ejus locum tenente conceſſam. Quòd ſi ratione abſentium ex Aulâ aliqua fercula ſupererunt, de iis in uſum menſis Sizatorum, aut aliorum pauperum pro arbitratu ſuo Burſarius diſponito. Præterea Burſarii eſſe Volumus proſpicere, ne quid incommodi ad Collegium redundet, è neglectà obſervatione eorum, quibus abeſſe à Collegio ad tempus conceſſum eſt; aut quibus ratione delicti ordinaria diæta judicialitèr ad tempus ſubtracta eſt. Ac proinde præcipimus, ut quamprimùm provideat, ne abſenti, aut hujuſmodi cenſuram ſuſtinenti quicquam ex ordinariis diætæ expenſis allo-

cetur. Ac ne quid Burſarium lateat hâc in re, Volumus, ut tam ii qui impetratâ veniâ, peregrè proficiſcuntur, quàm ii, qui communiarum beneficio quenquam privârunt, de eo Burſarium admoneant, ſub pœnâ arbitrariâ à Præpoſito, et Burſario aſſignandâ, totiès quotiès. Quicquid argenteum eſt, quod prandii, cœnæque tempore, quotidianis uſibus inſervit, ejus cuſtodiam Burſarius ſuſcipito. Si qua labes in aliquâ ædificii, et ſtructuræ parte ſit, eam curato. Si quid in utenſilibus Sacelli, Bibliothecæ, Culinæ, et Promptuarii, aut in quâcunque Collegii parte reficiendum eſt, de eo Burſarius inquirito, et reficiendum provideat, ſed cum conſenſu prædicto. Præpoſiti etiam cameras, et feneſtras interiùs reparari curet. Ad hæc, ligna, lapides, carbones, et cætera uſui neceſſaria tempeſtivè comparato. Denique Burſario injunctum eſto, ut ſolicitè caveat, ne quid detrimenti Collegium capiat ex dilatâ ſolutione pecuniæ, quæ vel à Collegio, vel à pupillis cujuſcunque generis et ordinis pro ordinario commeatu debeatur, ſive piſtori, ſive potifici, ſive aliis. Volumus ergo, ut et apocham

apocham ab iis, quibus ſoluta pecunia fuerit, accipiat ; et ad finem cujuſque menſis, vel intra decem dies à finito menſe, advocato promo, et aliis quorum intereſt, diligentèr inquirat de pecuniis commeatûs nomine debitis. Qui verò non ſolvunt, ut Statuto decimo præſcribitur, eos Burſarius, ſed conſulto priùs Præpoſito, aut in abſentiâ ejus, Vicepræpoſito, commeatu, pane, potu penitùs privabit. Quod ni fecerit, ipſe debitam ab illis pecuniam Collegio ſolvere tenebitur ; uti etiam quicquid ipſis, donec ſolverint, allocabit. Ut verò opportunè conſtare queat, quam rectè, et utilitèr officio ſuo Burſarius ſatisfaciat, Volumus, ut ad cujuſque quartæ exitum, aut intra ſeptimanam, Præpoſito, vel eo abſente, Vicepræpoſito, et Decano ſeniori in Aulâ, vel cubiculo Præpoſiti congregatis, rationem accuratè reddat, omnium receptorum, et expenſorum. Quòd ſi inutilis, et officio ineptus deprehendatur, amoveatur ilicò, aliuſque in ejus locum ſufficiatur. Finito anno, die ſcilicet Novembris viceſimo, Burſarius coram Præpoſito, et omnibus ſenioribus Sociis computum reddat in-

tegrum totius anni præteriti, quo ſtatus Collegii innoteſcat, quod et in codice, quem ſuprà memoravimus, clarè deſcribatur, unà cum renovato nominum eorum breviculo, qui nondum ſolverunt. Id verò quo meliùs, et accuratiùs præſtetur, Statuimus, et Ordinamus, ut ſit AUDITOR quiſpiam (ſi Præpoſito, et majori parti Sociorum Seniorum videbitur neceſſarium) Collegii ſtipendiis conductus, qui computo faciendo, ut prædicitur, interſit, et rationes totius anni acceptorum, et expenſarum accuratè conſideret, et examinet, eaſdemque intra tres menſes in membranas tranſcribendas, et Præpoſito, et Sociis Senioribus (ut tutò ſerventur) tradendas curet. De Collegii autem pecuniâ Nemini, vel Socio, vel alteri, quicquam unquam commodetur. Pecuniam verò mutuam non intelligimus illam, quæ traditur alicui Officiario, præ manibus, ad neceſſaria meliùs procuranda.

CAPUT

CAPUT 20.

De tutâ rerum cuſtodiâ, et Bibliothecario.

NIHIL eſt quod in re familiari ad Collegii commodum plus pertinet, quàm Evidentiarum, et Munimentorum diligens cuſtodia. Idcircò Statuimus, et Ordinamus, ut Literæ patentes fundationis, cæteraque omnia munimenta, Evidentiæ, Rentalia, et Terraria in ciſtulis, ſeu capſulis diligenter reponantur, quarum claves Præpoſitus, aut in ejus abſentiâ, Vicepræpoſitus, Burſarius, et Decanus Senior ſervent. Nihil horum, niſi graviſſimâ de cauſâ, à Præpoſito, et majori parte Sociorum Seniorum approbandâ, inde depromatur, aut cuiquam oſtendatur. Si quid fortè efferendum è ciſtulâ, et alicui neceſſariò committendum ſit, in regiſtro res extracta, et dies quo extrahitur, ſcribatur, et nomen etiam illius, cui committitur. Bona Collegii ſive ad Sacellum, ſive

ad Bibliothecam, ſive ad Culinam ſpectent, omnia particulatim in tria regiſtra referri Statuimus, quorum illud, quod eſt eorum quæ ad Sacellum ſpectant, apud Vicepræpoſitum, vel Socium Seniorem; alterum, quod eorum eſt, quæ ad Culinam, apud Burſarium ſervetur; tertium, quod libros continet, apud Bibliothecæ cuſtodem. Et quotannis per eoſdem hæc Regiſtra renoventur, ut quid ſuperioris anni, et quomodò amiſſum ſit videatur. Si quid tale accidat, in regiſtro notetur, ut is cujus negligentiâ amiſſum ſit, ſine tergiverſatione præſtet. Sin autem intra menſem id non fecerit, duplum reddat Collegio, et uſque eò commeatu careat, quoad id præſtiterit. Vaſa aurea, et argentea, et quicquid præterea pretioſum eſt, quod quotidianis uſibus non ſubſerviat, in communi ciſtâ conſerventur; nec unquam ex eâ depromantur, niſi ſingulis rebus in Regiſtro alio apud Præpoſitum ſemper reſervato, eorum manu, qui depromunt, deſcriptis, et Cautione, de Collegii indemnitate, adhibitâ. Quoniam verò inter Collegii ſupellectilem, Librorum eſt vel pretioſiſſima, Volumus,

Volumus, ut aliquis è Junioribus Sociis, vel Discipulis Baccalaureis, vel (si modò omnes idonei inter Socios, et Discipulos Baccalaureos recusaverint) è Magistris, vir frugi, quique domi se ferè continere solitus sit, studiis deditus, et librorum studiosus, huic custodiæ præficiatur: Ita tamen, ut confecto registro librorum, eos recognoscat, de iis præstandis caveat, juretque se munus suum fidelitèr executurum. Bibliothecarius quotidie ab horâ octavâ antemeridianâ ad decimam; et à secundâ rursus pomeridianâ ad quartam, intererit. Volumus insuper, ut non aliis, quam Præposito, Sociis, aut qui aliquando Socii fuêre, et Theologiæ Baccalaureis in Collegio commorantibus (etsi Socii non sint) aditus ad Bibliothecam interiorem ad librorum usum concedatur. Cæteri, si qui sunt, qui Bibliothecæ opportunitate, et commodo uti velint, in exteriori Bibliothecâ consistant, et libros, quibus legendis operam dare cupiunt, à Bibliothecæ custode mutuentur, sub conditione restituendi, priusquam discesserint. Præposito soli clavem habere, fas esto; sed

eâ

eâ lege, ut nemini clavem ſuam commodet. Statuimus etiam, ut Socii omnes, et Baccalaurei in Theologiâ, quique dehinc ad Socii locum, aut gradum Baccalaurei admittentur, Fidem dent ſtatìm poſt admiſſionem coram Deo, Præpoſito, et Senioribus, ſe nunquam librum è Bibliothecâ aſportaturos, niſi priùs cautionem ſufficientem depoſuerint, à Præpoſito, vel Vicepræpoſito, in ejus abſentiâ, approbandam, et obligatoriam ad reſtitutionem libri aſportati intra duas hebdomadas. Quod ſi quis contra hanc præſcriptam Statuti normam, librum quemcunque aſportaverit, non depoſitâ priùs Cautione prædictâ, Volumus, ut Bibliothecæ ingreſſu, et uſu, primâ vice, per menſem privetur; ſecundâ vice, per annum. Tertiò ſi ita deliquerit, in perpetuum. Si quis Liber ablatus, aut amiſſus fuerit, Volumus, ut è Sociis, vel Artium Magiſtris duo à Præpoſito et majori parte Seniorum deſignati, una cum cuſtode Bibliothecæ cameras in Collegio ſtudentium ſingulas, et privata muſæa adeant, et accuratiſſimè perſcrutentur. Si quis

quis è ſtudentibus in hoc recuperandi libri negotio obſtiterit inquirentibus, quo minûs cameram, et muſæum ingrediantur, eo conſilio, is ablati libri reus judicabitur, pænamque ſuſtinebit libri aſportatoribus ſupra conſtitutam. Quòd ſi debita diligentiâ adhibitâ, liber ablatus non ſit inventus, tum Burſarius, quàm citò fieri poſſit, è ſalario Bibliothecarii præſtabit, et reſtituet Bibliothecæ alium (ſed ejuſdem generis) librum. Denique id Bibliothecarius provideat, ne aut ipſe, aut quiſquam alius, Commentarios cujuſcunque generis, qui in frequentiori ſtudioſorum uſu ſunt, è Bibliothecâ ad privatum muſæum auferat, aut libros tribus plures è Bibliothecæ ſimul acceptos habeat penès ſe, ſub penâ delinquenti pro arbitrio Præpoſiti, et majoris partis Seniorum, infligendâ.

CAPUT

CAPUT 21.

De Sociorum, et Scholarium numero, commeatu, ſalariis, et cubiculis.

CUM ex Chariſſimi Patris noſtri, Regis Jacobi celeberrimæ memoriæ, munificentiâ erga Collegium iſtud ſingulari, magna non ita pridem acceſſio facta ſit ad annuos Collegii reditus, placet proportionalitèr, tum numerum Sociorum, et Scholarium augere, tum in ordinario victu, et ſalariis, ipſorum conditionem auctiorem, melioremque reddere. Volumus ergo, et Statuimus, ut Socii ſint numero ſedecim, ſeptem nempe Seniores, reliqui Juniores. Diſcipuli Collegii ſumptibus ſuſtentandi, ſint ſeptuaginta, è quibus triginta Hibernici ſint, et ad eorum in ſtudiis invitandam diligentiam, liberalior allocatio fieri poterit. Atque hunc Numerum Sociorum, ac Diſcipulorum quotannis ſuppleri Volumus, die nempe Lunæ proximè poſt Dominicam Trinitatis, niſi Collegii aliquod

aliquod insigne detrimentum cogat numerum Scholarium ad tempus imminuere. Pro commeatu, Præposito, et Sociorum cuivis è culinâ allocentur tres solidi, quatuor denarii, et obolus hebdomadatim. E promptuario per singulos dies ad panem, et potum duo denarii; unus ad prandium, alter ad cœnam: et extra ordinem per hebdomadam octo denarii, et obolus. Discipulis verò in obsonio è Culinâ sedecem denarii, et obolus. 'E Promptuario cuivis pro pane prandii tempore obolus, et tandundem ad cœnam. Pro cervisiâ quotidie obolus, et extra ordinem per hebdomadam quatuor denarii. Dominicâ autem Trinitatis (in cujus honorem hoc Collegium fundatur) Volumus, ut communiæ uniuscujusque mensæ duplicentur per Aulam. Ad mensam verò Præpositi, et Sociorum Seniorum commeatus sit adhuc lautior, ad arbitrium Præpositi, modò ordinariam diætam, non excedat ampliùs quadruplo. Pro salario allocentur per annum Præposito centum libræ sterlingæ. Sociis septem Senioribus, cuilibet novem libræ sterlingæ,

lingæ, tredecim ſolidi, quatuor denarii. Sociorum juniorum cuilibet tres libræ ſterlingæ. Diſcipulo cuique decem ſolidi ; Hibernicis verò Diſcipulis (quos è pauperioribus eligi Volumus, modò digni ſint) cuique tres libræ ſterlingæ. Catechiſtæ tredecim libræ ſterlingæ, ſex ſolidi, octo denarii. Decano Seniori quatuor libræ ſterlingæ. Juniori Decano duæ libræ ſterlingæ. Primario Lectori quatuor libræ ſterlingæ. Senis inferioribus Prælectoribus ſingulis per annum quatuor libræ ſterlingæ. Burſario decem libræ ſterlingæ. Auditori ſex libræ ſterlingæ, tredecim ſolidi, quatuor denarii. Bibliothecario tres libræ ſterlingæ. Si autem reditus Collegii poſthàc eò uſque creverint, ut ratio de augendis ſalariis iniri poſſit, Volumus, et Statuimus, ut habitâ proportione ad ea quæ jam poſita ſunt, augmentum fiat per Præpoſitum, et majorem Partem Sociorum Seniorum, ſed veniâ prius petitâ, et impetratâ à Deputato noſtro generali regni noſtri Hiberniæ et à Viſitatoribus Collegii. Et ut hæc intentio de augendis ſalariis meliorem ſortiatur effectum, Volumus, et Mandamus,

mus, ut in omnibus dimiſſionibus terrarum, aut tenementorum, domuumve ad firmam, Statuta regni Noſtri Hiberniæ in hoc caſu edita penitus obſerventur, nempe ut medietas juſti valoris annui terræ, ſeu tenementi cujuſcunque quod dimittitur, reſervetur Collegio, nomine rentæ, inter proventus annuos, et ſolvatur Burſario annuatim à Tenente in uſum Collegii.

In Cubiculis diſtribuendis, etſi doctrinæ, et virtutis ratio habenda ſit, tamen ne ex illâ controverſia aut invidia oriatur, ſeniorem juniori tam inter Socios, quàm inter Diſcipulos ſempèr præferendum Statuimus, niſi fortè ex gravi cauſâ hanc ſucceſſionem aliquando mutandam Præpoſitus judicaverit. Sed et hoc, inter Diſcipulos tantum. Diſtribuendorum enim cubiculorum poteſtas penès Præpoſitum ſolum eſſe Volumus. Nemo cubiculum, ut proprium, et ſuum teneat, niſi antè à Præpoſito ad id admiſſus fuerit. Abſente itaque Præpoſito, aut vacante Præpoſiturâ, nihil hâc in parte attentabitur. Cum autem quiſpiam cubiculum ſuum relin-

quit, clavem ad Præpoſitum deferat. Quòd ſi quiſpiam in cubiculo vel extruat quid, vel reficiat, ſuo ſumptu faciat, niſi Præpoſitum priùs conſulat. Ac ſi Collegio diſcedens, compenſationem expenſi poſtulet, tum una tertia ſumptûs deducatur, aut ſi res ita exigat, à Præpoſito, et, majori parte Seniorum quæſtio compenſationis decidatur.

CAPUT 22.

De abſentiâ Sociorum et Scholarium.

QUONIAM multæ hujuſmodi cauſæ non rarò incidunt, ut Socii, et Diſcipuli neceſſariò ex Academiâ egredi cogantur; idcircò Statuimus, et Ordinamus, ut ſinguli Sociorum, et Diſcipulorum, cum cauſam exeundi neceſſariam habeant, à Præpoſito, aut eo abſente, Vicepræpoſito, facultatem egrediendi petant, cauſâque approbatâ, nomen ſuum, et diem quo egrediuntur in Regiſtro ad eam rem comparato, et apud Præpoſitum, aut eo abſente, Vicepræpoſitum,

tum ſervato, ſcribant, et vel ipſo die, quo ad Collegium redeunt, vel ad ſummum poſtridie ejus diei, in eodem Regiſtro, reditûs ſcribant diem. Quòd ſi quiſpiam ex Sociis, vel Diſcipulis hoc præ negligentiâ vel conſultò omiſerit; primò, commeatu unius hebdomadæ; ſecundò, duarum; tertiò, trium; quartò, pro arbitrio Præpoſiti, et majoris partis Seniorum, puniatur. Sociorum ſingulis, abſentiæ dies, ſexaginta tres, Diſcipulorum autem ſingulis, triginta duos, vel continuos, vel interpolatos, quolibet anno, incipiendo à Dominicâ Trinitatis, concedimus. Prælectoribus verò, et Officiariis idem jus eſto, modò officium ſuum per alium ſufficientem Deputatum, à Præpoſito, vel eo abſente, Vicepræpoſito approbandum, præſtari curaverint. Quam tamen licentiam ita Præpoſitum moderari Volumus, ut nunquam ſupra tertiam partem Sociorum, vel Diſcipulorum ſimul à Collegio abeſſe patiatur. Quòd ſi quis prædictorum Sociorum, vel Diſcipulorum ad Collegium infra præſtitutos dies non redierit, is niſi plures dies à Præpoſito, aut in ejus abſentiâ, à Vicepræpoſito,

et majori parte Seniorum propter gravem aliquam cauſam ab iiſdem (et Præpoſito cum redierit) approbandam obtinuerit, Collegio expellatur. Si quis dum abfuerit, in morbum fortè inciderit, et per literas Præpoſitum, et Socios certiores fecerit, idque certis teſtimoniis poſteà ita habere compertum fuerit, dies quibus ægrotaverit, intra præſcriptos abſentiæ dies numerari Nolumus. Statuimus item, ut nemini Sociorum, vel Diſcipulorum præter dies præſcriptos ultra unam in ſingulis annis quartam, à Præpoſito, vel eo abſente, Vicepræpoſito, et majori Parte Seniorum, niſi graviſſimâ, urgentiſſimâque de cauſâ, unquam concedatur. Volumus etiam, ut abſentes pro commeatu nullam compenſationem habeant, niſi vel ægrotaverint, vel fortè in Collegii negotiis exequendis occupentur. Quo caſu Statuimus, ut Præpoſitus, aut alius quicunque ad Collegii negotia obeunda emiſſus deſignatione Præpoſiti, aut eo abſente, Vicepræpoſiti, et majoris partis Seniorum (qui et negotium ipſum, et loci diſtantiam, et dierum numerum, et alias circumſtantias diligentèr conſiderent) ſumptus

ſumptus ſuos ſibi allocatos habeat. Ipſe verò intra triduum, aut ad ultimum intra ſepnam poſtquam ad Collegium redierit, expenſa in ſchedulâ quâdam particulatim ſcripta ad Præpoſitum, aut eo abſente, Vicepræpoſitum deferat, ſub pænâ amiſſionis eorundem. Quod ſi quiſpiam ultra viginti dies in dictis negotiis abſuerit, pecuniam ad veſtes reficiendas pro toto abſentiæ tempore, eorundem conſenſu recipiat. Statuimus etiam, et Ordinamus, ut cum peſtis, aut alterius contagioſi ac lethalis morbi vis ingruit, Præpoſitus, aut eo abſente, Vicepræpoſitus, convocatis Sociis Senioribus de majoris partis eorum ſententiâ, poteſtatem Sociis, ac Diſcipulis faciat, ſe rus ad aliquem opportunum locum conferendi. Quòd ſi repentinus peſtis, aut alicujus lethalis morbi metus acciderit, ſic ut in unum coacti de vitâ propter morbi contagionem periclitentur, tum permittimus, ut de prædictorum conſenſu, Sociorum, et Diſcipulorum cætus tam diù diſſolvantur, quàm Præpoſitus, vel eo abſente, Vicepræpoſitus, et major pars Seniorum neceſſarium judicaverit. Quo tempore ſinguli ad diverſa

loca pro arbitratu ſuo ſecedant. Poſt quod quidem ſpatium, in unum denuò congregari (cum id commodè et abſque periculo fieri poteſt) Diſcipulos univerſos volumus. Illo verò temporis ſpatio, ſi in uno aliquo loco ſimul eſſe poſſunt, aut omnes, aut plures, tum omnes Actus Scholaſticos, quos præſtare in Collegio tenentur, obſervare, et cætera obire Volumus, quæ Collegii Statuta exigunt. Quibus toto illo tempore, quo ſimul ruſticantur, Lectorem primarium, et Decanorum unum, ad arbitrium Præpoſiti, præeſſe Volumus. Lector autem omnium acceptorum, et expenſorum rationem accipiat; Decanus verò morum honeſtati provideat. Nulli Sociorum, aut Diſcipulorum, eo tempore, quo rure manent, commeatum concedimus, niſi vel in Collegio, vel cum Diſcipulis verſetur. Statuimus, porrò, et Volumus, ut dum ruſticantur Socii, ac Diſcipuli, Præpoſitus, aut Vicepræpoſitus in Collegio ad ejus conſervationem, maneat, niſi poſſint Socios duos è Senioribus per majorem partem Sociorum Seniorum approbandos, in ſuo loco ſubſtituere.

CAPUT

CAPUT 23.

De pœnis majorum criminum, mulctiſque aut exigendis, aut commutandis.

NIHIL eſt quod magis homines ad delinquendum incitet, quàm impunitas. Propterea Statuimus, et Ordinamus, ut ſi quis Sociorum, aut Diſcipulorum, aut aliorum intra Collegium vitam degentium, blaſphemiæ, hereſeos, aut ſimoniæ, aut læſæ Majeſtatis, aut contumaciæ, et contemptûs adverſus Statuta Collegii, aut perjurii, furti notabilis, homicidii voluntarii, ſtupri, adulterii, inceſtûs, aut violentæ percuſſionis Socii, aut Diſcipuli cujuſpiam, convictus ſit, quâ vulnus grave cuiquam ex prædictis inflixerit, aut ſi Præpoſitum, Vicepræpoſitum, Decanum, Lectorem primarium, Doctorem aut Baccalaureum Theologiæ, vel levitèr percuſſerit, vel portarum ſeras deditâ operâ corruperit; quinetiam ſi portas Collegii furtim

tim reſeraverit, aut conjurationes, aut inſidias contra Collegium comparaverit, vel ſeditiones in Collegio aliquando excitaverit, vel damnum grave ei intulerit, aut per alios hoc fieri aliquando procuraverit, aut dedecus, vel infamiam prædicto Collegio inuſſerit, et id confeſſus, vel idoneis teſtibus convictus fuerit, coram Præpoſito, aut eo abſente, Vicepræpoſito, tunc per eundem Præpoſitum aut Vicepræpoſitum, duobus Decanis ad ſe accitis, à Collegio prorſus amoveatur tanquam membrum peſtilens, et cæteris valdè perniciosum. Quod verò Vicepræpoſitus in hâc, vel aliis rebus ad expulſionem pertinentibus fecerit, tum demùm robur ſuum obtinebit, cum Præpoſiti approbatio acceſſerit. Aliorum autem Criminum, quorum cenſuram Præpoſito videbitur Senioribus Sociis proponere, pænam illam eſſe Volumus in quam Præpoſitus cum majori parte ſuffragiorum Seniorum conſenſerit. Mulctarum impoſitores mittent ſchedulam ad promum, quâ nomina delinquentium, et mulctæ ſingulis impoſitæ deſcribentur. Has Promus in tabulis horſùm apud ſe aſſervatis notabit, et die

die Sabbati juxta ſingulorum nomina, in libro promptuarii inſcribet, et unà cum illo oſtendet, ut finito menſe, eâdem, quâ reliqua expenſa ratione, et ſub eâdem pænâ Burſarius â Tutoribus exigat. Qui autem nec Tutores ſunt, nec Tutorem habent (uti inferiores Miniſtri Collegii, de quibus Capite viceſimo quarto) Volumus, ut ſi quis eorum mulctari meruerit, mulctam Burſarius ſolvat è ſtipendio, vel emolumento delinquentis. Quin ſi ſervus cujuſquam eorum peccaverit, dominus luat. Quas mulctas ſic receptas, Burſarius unà cum nominibus eorum, quibus impoſitæ ſunt, ſeorſim in libro ſuo, quolibet menſe præſcribet, et quâlibet demum quartâ coram Præpoſito, et Decano ſeniore rationem reddet; ut quos mulctæ ad frugem non revocârunt, ſeverior diſciplina conſtringat. Mulctarum autem ſumma quâlibet quartâ in ciſtâ communi deponatur, et in finali computo coram Præpoſito, et Senioribus reddita, in communem uſum Collegii cedat. Si quis autem delinquens, aut Tutor ejus mulctam impoſitam ſolvere per triduum recuſaverit,

pro

pro primâ vice duplicetur ſumma; pro ſecundâ vice triplicetur; tertiâ vero vice, amoveatur penitus à Collegio. Quòd ſi Burſarium, ſive ob neglectum hoc officium, ſive ob aliud quodcunque delictum mulctari contigerit, Statuimus, ut ipſe mulctarum ſibi impoſitarum, juxta ac reliquarum rationem reddat, eaſque unà cum reliquis quâlibet anni quartâ in ciſtâ communi deponat, ſub pænâ contumaciæ adverſùs Statuta Collegii. Quoniam verò uſu deprehenſum eſt, pænam illam quâ Studentibus ordinaria diæta ad tempus ſubtrahitur, ad correctionem, et diſciplinam quorundam Studentium parùm proficere; placet quoties de ſubſtractione ordinarii commeatûs Statuta loquuntur, ut liceat Præpoſito, vel eo abſente, Vicepræpoſito, eandem vel imponere delinquenti, vel in aliam pro arbitrio commutare, quæ ipſi ad præventionem delictorum, et reformationem videbitur eſſe commodior.

CAPUT

CAPUT 24.

De inferioribus Collegii Miniſtris.

ADHUC deeſſe quædam membra videntur huic corpori, non illa quidem venuſtiſſima, ſed tamen omnino neceſſaria, cujuſmodi ſunt Coquus, Manceps, Cellarius, Janitor, quorum officia tametſi uſu notiſſima ſunt, tamen ne quid his Statutis deſit, placet, et hoc pertexere. Ejuſmodi igitur miniſtros eligi Volumus à Præpoſito, et majori parte Sociorum Seniorum intra triduum poſt locum per mortem, vel reſignationem, vel quocunque alio modo vacantem. Licebit etiam iiſdem Electoribus (ſi juſtam cauſam ſe reperiſſe judicaverint) quenquam eorum à Collegio amovere. Eligantur autem, ſi quidem idonei reperiantur, cælibes, religioſi ſaltem, probi, ſobrii, et honeſti, ne aut malo exemplo corrumpant juventutem, aut infamiâ ſuâ Collegio ſint dedecori. Manceps, ſive Obſonator, acceptâ

acceptâ à Burſario pecuniâ, ſi opus ſit, ad macellum, vel piſcariam (prout jura poſtulant) quotidiè proficiſcatur, et operam ſuam diligentèr det, ut edulia ſalubria, et quàm queat minimo, emantur. Coquus prætereà, ut rectè apparentur, et in communias diſſecentur. Idem vaſa coquinaria habeat in numerato, ineunte anno; quæ expleto rurſus anno, novo Burſario repræſentet. Cellarius, ſeu promus præter curam panis, et cerviſiæ (quæ ut juſto pondere, menſurâ, et bonitate reſpondeant, Burſarius præcipuè videto) mappas, et linteamina lavanda curabit a Lotrice, Collegii ſumptibus. Idem quolibet die Sabbati, prandio finito, coram Præpoſito, aut Vicepræpoſito, et majori parte Seniorum librum promptuarii oſtendat, et ſeorsìm in libello nomina eorum, qui aut per totam, aut dimidiam ſeptimanam abſuerint. Eorum inſupèr, quibus aut communiæ ſubtractæ, aut mulcta impoſita, quantaque, et à quo, ut, et Collegii indemnitati, et pauperum, proſpiciatur. Janitor portas Collegii, tum quæ urbem ſpectant, tum quæ campos orientales,

orientales, manè aperiet, inter horas quintam, et ſextam, et æſtivo tempore maturiùs etiam, ſi Præpoſito videbitur. Veſperi eaſdem hyemali tempore, horâ octavâ, æſtivali horâ nonâ obſerabit, claveſque ad Præpoſitum deferet. Eædem tempore prandii, et cœnæ, et precum publicarum ſemper obſeratæ ſunto. Januæ majores nunquam niſi vecturæ cauſâ aperiantur, ſtatimque claudantur. Idem Janitor Aulam, veſtibulum, et utramque aream à ſordibus expurgabit, et munda cuſtodiet. Quòd ſi quenquam vel in veſtibulo mingentem, aut Aream projectâ urinâ, ſive quiſquiliis conſpurcantem deprehenderit, licebit ei nomen delinquentis Decano ſeniori, vel Burſario deferre, qui ſtatim ſex denarios capiti ejus in promptuario inſcriptos mulctæ nomine Janitori aſſignabit. Idem canes è Collegio abigat, videatque ne qui calones, puerive in Collegio pernoctent, aut omnino miniſteria peragant, niſi quos Præpoſitus aut ejus Vicem gerens probaverit. Et ne illius curæ tantùm rem tanti momenti relinquamus, Volumus, et Statuimus, ut præter Præpoſitum et Vicepræpoſitum, Decanus videat, ne quis ſervu-

lum, aut puerum ſibi miniſtrantem habeat, niſi Scholarem, aut qui literis ſaltem operam det; nec id ſine licentiâ Præpoſiti fiat: quo caſu Decanus, ejus, herique nomen in libellum peculiarem conſcribat. Et cuique Sociorum Seniorum fas eſto, eum, quotiès placuerit, examinare, quomodo in literis proficiat. Hoc Statutum qui violârit, tanquam Collegii ſplendorem obfuſcans, eam cenſuram ſubeat, quam Præpoſitus, et major pars Seniorum irrogabit.

CAPUT 25.

De Electionum formâ, et tempore.

QUONIAM ad regimen Collegii permultùm conducit legitimam in electionibus formam obſervari, Volumus, ut quotiès Socii Juniores, vel Diſcipuli eligendi ſint, peractâ examinatione per Statuta requiſitâ, Præpoſitus, et Socii Seniores ad monitum Præpoſiti convenient in Sacello, et perlectis Statutis

tis de eorum Qualitate, et Electione unâ cum hoc Capite (DE FORMA, ET TEMPORE ELECTIONUM) Nomina Candidatorum publicè à Primario Lectore recitabuntur: Quo peracto quiſque elector hoc Juramentum dabit.

EGO C. Deum teſtor in conſcientiâ meâ me Statuta nuper lecta fidelitèr, et integrè obſervaturum, et illum vel illos in Socium, vel Socios, aut Scholarem Diſcipulum, ſive Scholares Diſcipulos nominaturum, et electurum, quem, vel quos Statuta nupèr lecta ſignificare, et apertiùs deſcribere mea conſcientia judicabit, omni illegitimâ affectione, odio, amore, et ſimilibus ſepoſitis.

Confidebunt inde in Scrutino ſecreto Præpoſitus, vel eo abſente, Vicepræpoſitus, cum duobus Sociis præſentium maximè ſenioribus, et ſuffragia ſua primi omnium deſcripta deponent. Poſtea reliqui Socii Seniores juxta ordinem ſenioritatis ſuæ ibidem ſuffragia pro numero locorum ſupplendorum, ſimùl, et ſemèl ſcribent. Ea Scrutatores diſcriminabunt, et in quem, vel quos major pars Socio-

rum Seniorum, unà cum Præpoſito, vel eo abſente, Vicepræpoſito, conſenſiſſe deprehendetur, is, vel illi pro electo, vel electis habeantur, et mox pronunciabuntur à Præpoſito. Quòd ſi primo, vel ſecundo ſcrutinio Electorum major pars, cum Præpoſito, vel eo abſente, Vicepræpoſito non conſenſerint, eo caſu in tertio ſcrutinio, is, vel illi pro electo, vel electis ſunto, quem, vel quos, Præpoſitus, vel, eo abſente, Vicepræpoſitus, nominabit.

In Seniorum verò Sociorum numerum quotiès quiſquam cooptandus eſt, omiſſâ examinatione, et Juramento (utpote jam anteà factis) Præpoſitus, vel Vicepræpoſitus de præelectis Sociis Junioribus maximè ſeniorem nominabit, et de ipſo ſuffragia rogabit, an dignus videatur, qui in decedentis locum ſuccedat. Qui ſi convictus fuerit coram Præpoſito, et majori, vel ſaltem æquali parte Seniorum alicujus criminis, quo indignus redditur, de proximo habeatur ratio, et ſic deinceps quoad in aliquem dignum conſenſerint: quem ſic Socium Seniorem ſtatìm conſtitui, et admitti placet, et parem cum cæteris poteſtatem, authoritatem, et ſtipendia obtinere.

Hanc

Hanc autem electionem, vel potius cooptationem Socii Junioris in Seniorem ſempèr fieri Volumus intra triduum à vacatione cognitâ, ſive per mortem, ſive alio quocunque modo. Si verò intra triduum Præpoſtus, et major, vel ſaltèm æqualis pars Sociorum actualitèr, et ſuo jure Seniorum unà cum Præpoſito in aliquem dignum non conſenſerint (nam Seniores Socios pro tempore aſſumendos è Sociis Junioribus ad ſupplendum numerum ſeptenarium Sociorum Seniorum in hoc caſu non admittimus) tum devolutionem electionis ad Cancellarium Academiæ (quem conſtituimus primarium viſitatorum hujus Collegii) fieri Volumus, et Statuimus:

Diem verò Electionis Sociorum Juniorum, ac Diſcipulorum aſſignamus quotannìs diem Lunæ poſt Dominicam Trinitatis, niſi contigerit tunc temporis Præpoſituram vacare; quo caſu electio tantiſpèr ſuſpendatur, dum novus Præpoſitus admittatur. Dies autèm per Statuta requiſiti ad præviam examinationem Candidatorum Sociorum, ſunto dies Mercurii, Jovis, Veneris, et Sabbati immed-

diatè præcedentes Dominicam Trinitatis. Ad examinationem verò eorum, qui Discipulatum petunt, seponantur Dies Jovis, et Veneris ante Dominicam Pentecostes.

Quod verò ad Præposituram Collegii attinet; cum Collegium hoc sit mater Universitatis, et unicum istius regni; ideo Nos pro eâ curâ quam singularem habemus erga universum regnum Hiberniæ, et præcipuè erga Collegium prædictum, nominationem, et electionem Præpositi idonei ad regimen Collegii (utpotè munus maximi momenti) Nobismet, Hæredibus, et Successoribus nostris reservamus in perpetuum. Et idcircò Volumus, et Mandamus, ut quandocunque et quomodocunque contigerit Præposituram dicti Collegii vacare, ut Vicepræpositus in Collegio pro tempore existens, (vel eo absente, Socius maxime senior, et domi præsens) vacationem statim significet Cancellario Academiæ, et Cancellarius absque morâ Nobismet ipsis renunciet, ut quamprimum à Nobis fieri possit, Collegio provideatur de idoneo Capite. Post electionem novi Præpositi à Nobis factam,

et

et Vicepræpoſito Collegii ſignificatam, Electio mox publicabitur à Vicepræpoſito, nomine Regiæ Majeſtatis, et novus Præpoſitus, ſic (ut præfertur) electus, præſtito præſcripto Juramento Præpoſiti in Sacello, coram Vicepræpoſito (cui poteſtatem concedimus Juramentum in hoc caſu adminiſtrandi) reliquiſque Sociis Senioribus Collegii, Præpoſituram gerat. Durante verò vacatione, et donec novus Præpoſitus à Nobis nominetur, et in Præpoſituram in Collegio admittatur, Volumus, ut Vicepræpoſitus curam regiminis Collegii in ſe ſuſcipiat, et Præpoſiti vices in omnibus gerat, exceptis Cubiculorum diſtributionibus, electionibus omnibus, dimiſſionibus terrarum, tenementorumve Collegii ad firmam, et inſtrumentis quibuſcunque faciendis, quæ Collegii Sigillo muniri ſolent:

CAPUT

CAPUT 26.

De finali computo ; et electione Officiariorum, et Prælectorum.

QUONIAM proventus, et reditus, etſi grandes niſi fidelitèr ſolvantur, et recepti cautè conſerventur, ac prudentèr expendantur, vix ſufficiant paucitati, nedum multitudini, ut hæc omnia meliùs curentur, Volumus, ut ſemel in unoquoque anno, die nempe viceſimo Novembris, Burſarius coram Præpoſito, et omnibus Senioribus Sociis computum reddat integrum totius anni præteriti, et clarè deſcribat eo modo, quo in Statuto de Burſario præſcribitur, quid receperit, et quid expenderit, et quid aut Collegium ei debeat, aut viciſſim ipſe debeat Collegio, nimirum, ut ita liquidò præſentibus appareat (quantum ad ipſos attinet) verus Collegii ſtatus. In hoc verò computo ſi nullus error inventus ſit, exoneretur ſtatim Burſarius à cautione depoſitâ ; ſin minus,

nus, tum Burſarius abſque morâ, ante computum finitum omnia Collegio debita ſolvere, et reſtituere cogatur.

Eodem tempore (computo finito) Volumus, ut electiones omnium Officiariorum, et Prælectorum fiant per Præpoſitum, vel eo abſente, Vicepræpoſitum, et majorem partem Sociorum Seniorum, et ut ſinguli Officiarii, et Prælectores, ſic (ut præfertur) electi, unà cum illis qui à Præpoſito ſolo nominantur, proximâ die poſt electionem, horâ ſcilicet nonâ antemeridianâ, publicè in Sacello, coram Præpoſito, vel eo abſente, Vicepræpoſito, et omnibus Sociis, Scholaribus, et Commenſalibus eò convocatis, vel ſaltem majori parte eorundem Juramentum præſtent, tactis Sacroſanctis Chriſti Evangeliis in hæc verba.

EGO N. N. electus in Vicepræpoſitum, Decanum, Burſarium, &c. reſpectivè hujus Collegii, juro me fidelitér exercituruum munus mihi demandatum juxta Statuta hujus Collegii: Ita me Deus adjuvet, et Sacroſancta ejus Evangelia.

Quòd

Quòd ſi contigerit aliquem Officiariorum, vel Prælectorum intra annum, ante computum proximè futurum mortem obire, vel per promotionem, ceſſionem, aut alio quovis modo à Collegio diſcedere, tum intra tres dies à vacatione cognitâ alter idoneus eligatur per Præpoſitum, vel eo abſente, Vicepræpoſitum et majorem partem Sociorum Seniorum in ejus locum, quem ſupplere tenebitur ſub juramento ad tempus finalis computi proximè ſequentis, et non ulteriùs.

CAPUT 27.

De Concluſione Statutorum.

HÆC ſunt quæ anteceſſores veſtri magnâ ex parte tradiderunt. Nos autem in multis aliis caſtigari curavimus, et in hanc formam redacta vobis, et Succeſſoribus veſtris ſic tradenda duximus. Statuimus igitur, et Ordinamus, ut (abrogatis quibuſvis aliis Statutis pro hujus Collegii gubernatione priùs

priùs excogitatis) ii qui præſunt, ſecundum hæc Statuta, et non alia, Collegium regant, et adminiſtrent. Ac ne quis eorum, quibus parendi officium incumbit, ignoratione peccet, Volumus ut hæc Statuta Noſtra initio cujuſque Termini per Decanos publicè, et diſtinctè in Sacello, vel Aulâ perlegantur. Cui quidem lectioni Volumus omnes Socios, Scholares, Commenſales, et alios Studentes intereſſe, niſi ex cauſâ rationabili, à Præpoſito, vel eo abſente, Vicepræpoſito cum aliquo diſpenſetur. Quòd ſi aliquæ ambiguitates in Statutis hiſce noſtris oriantur, de quibus aliquid certum ſtatui non poteſt, imprimus Mandamus, ut ad veritatem exquirendam literalem, et grammaticalem ſenſum, paritèr, et mentem noſtram reſpiciant. Quòd ſi inter Præpoſitum, et Socios, aut inter ipſos Socios alioſve quoſcunque Noſtri Collegii ſuper aliquo articulo Statutorum Noſtrorum dubium aliquod oriatur, et diſcordia, cujus deciſio, ſeu ſanus et plenus intellectus intra octo dies incluſivè à tempore exorientis, ſeu commotæ dubitationis computandos, nequiverit à Præpoſito, et majori

jori parte Seniorum Sociorum ità dari, ut omnes acquieſcant, tum Volumus, ut duo ex Sociis ad id munus per Præpoſitum, et majorem partem Sociorum Seniorum aſſignandi, unà cum partibus diſſidentibus Viſitatores Collegii (qui in Chartâ Fundationis, uti eſt a Nobis jam confirmata, nominantur) adeant, et totam controverſiam iiſdem Viſitatoribus ſub communi Collegii Sigillo ſignificatam deferant, obteſtantes eos in Domino, ut juxta planum, communem, literalem, et grammaticalem ſenſum, et ad dubium prætenſum aptiorem omnes hujuſmodi ambiguitates interpretari, et determinare velint. Quorum quidem Viſitatorum interpretationi, determinationi, et declarationi, ſuper dubio prædicto, ita ut præfertur, ſignificato, Præpoſitum, Vicepræpoſitum, Socios, et cæteros omnes dicti Collegii obtemperare Volumus, et cum effectu parere, ſub ipſorum debito juramento Collegio præſtito, et pænâ amotionis perpetuæ à dicto Collegio; Nolentes quòd per conſuetudinem ullam, aut diuturnum aliquem abuſum, aut actum quemcunque verbis, aut intentioni dictorum

Statu-

Statutorum in aliquo derogetur. Et quoniam alii etiam caſus oboriri poſſunt, quos omnes humana prudentia proſpicere nequit; idcircò poteſtatem, et authoritatem concedimus Præpoſito, et ſeptem Senioribus Sociis pro tempore exiſtentibus, ſcilicet, ut Præpoſitus, et major pars Sociorum Seniorum in caſibus omiſſis (ubi nihil certum in Statutis definitum eſt) nova decreta condant, quæ (modò non repugnent Statutis noſtris, et habeant conſenſum Viſitatorum) vim obligandi, ſub pænis in iiſdem præſcriptis obtinere Volumus, donec (ceſſante cauſâ) viſum fuerit Præpoſito, et Sociis Senioribus, vel majori parte eorundum eadem decreta cum conſenſu itidem Viſitatorum reſcindere. Hortamur tamen, ut Præpoſitus, et Socii Seniores hâc poteſtate, quàm parciſſimè, et non niſi urgente neceſſitate, utantur; ne nimia facilitas in evaginandis decretis contemptum pariat.

Poſtremò, quoniam nihil bonis legibus adeò firmari, munirique poteſt, quin ab iis qui licentèr vivere, et luxui, atque libidini fræna laxare ſtudent, aliquo fraudis

commento facilè queat illudi; idcircò Viſitatoribus Collegii in Chartâ Noſtrâ Regiâ deſignatis, poſtetatem concedimus; et inſuper rogamus eos in Domino, ut ſemel in unoquoque triennio per ſe, vel per alios ad id muneris deputatos, hoc Collegium adeant, ut Præpoſitum, Vicepræpoſitum, Decanos, Burſarium, Prælectores, Socios, Scholares, et Diſcipulos omnes Collegii in unum convocare poſſint, et velint Collegium tam in Capite, quàm in membris viſitare, ac de, et ſuper omnibus, et ſingulis, ſtatum, commodum, honorem, et dicti Collegii Statuta, Præpoſiti, Vicepræpoſiti, Burſarii, Decanorum, Prælectorum, Sociorum, Scholarium, Diſcipulorum, et Miniſtrorum, reformationem, et correctionem concernentibus diligentèr inquirere, juramentum de dicendo veritatem in præmiſſis omnibus, et ſingulis, ab eiſdem exigere, crimina, exceſſus, delicta, et negligentias quorumcunque dicti Collegii qualitercunque commiſſa in eâ Viſitatione comperta ſecundùm criminum, exceſſuum, delictorum, et negligentiarum qualitatem, et exigentiam, et juxta horum Statutorum

tutorum tenorem debitè punire, et reformare, aut ut puniantur ut reformentur per Præpoſitum, vel quorum intereſt, curare, cæteraque omnia et ſingula facere, et exercere, quæ ad eorum correctionem, et reformationem ſunt neceſſaria, aut quovis modo opportuna, etiamſi illud ad privationem, ſeu amotionem Præpoſiti, Vicepræpoſiti, aut alterius cujuſcunque ab adminiſtratione, vel officio, ſeu ad amotionem alicujus Socii, Scholaris, vel Diſcipuli ab hoc Collegio (ſi tamem hoc ipſum Statuta Collegii exigant) procedere contingat; hoc interim ſemper proviſo juxta tenorem Chartæ, quod nec in deprivationibus, nec in ullis gravioribus Collegii negotiis, aliquid unquam fiat ſine approbatione Cancellarii Academiæ (quem conſtituimus primarium Viſitatorem hujus Collegii) aut ſi fiat, pro irrito habeatur. Statuimus etiam, et Ordinamus, ut præfati Viſitatores, præter hanc ordinariam, ſeu triennialem Viſitationem, nempe quotieſcunque vel per Præpoſitum, et majorem partem Sociorum Seniorum, vel per Præpoſitum ſolum, vel per totum numerum Sociorum Se-

niorum, reluctante Præpoſito, requiſiti fuerint ad Collegium accedere, et quæ Viſitatoris officio incumbunt, peragere valeant, ac poſſint.

Eos tamen Volumus, Viſitatione ſive ordinariâ, ſive extraordinariâ) ſemel inceptâ, atque inchoatâ, ut quàm citò commodè poterint, cauſas omnes dijudicent, et determinent, ac finem Viſitationis ſuæ omninò intra tres poſt eorum ad Collegium acceſſionem, dies, faciant. Conſcientiam verò Viſitatorum apud Altiſſimum oneramus, et in viſceribus Domini noſtri Jeſu Chriſti hortamur, ut in faciendo, et exequendo præmiſſa, ſolum Deum præ oculis habeant, et ut favore, timore, odio, prece, aut pretio, coloribus, aut occaſionibus poſthabitis quibuſcunque, Viſitationis, inquiſitionis, correctionis, et reformationis, officium diligentèr impendant, et fidelitèr in omnibus exequantur, ſicut coram Deo in ejus extremo judicio in hoc caſu voluerint reddere rationem.

Poſtremò Volumus, ut tria Exemplaria authentica horum Noſtrorum Statutorum, ſcriptis mandentur; quorum primum in Archivis Collegii quàm tutiſſimè reponatur. Alterum

terum verò ſemper remaneat apud Deputatum Noſtrum Generalem regni Noſtri Hiberniæ. Tertium denique in manibus Cancellarii Academiæ conſervetur.

Soli autem ſapienti Deo Tri-uni, Patri, Filio et Spiritui Sancto, ſit laus, honor, et gloria in ſæcula ſeculorum. Amen.

CAROLUS Dei Gratiâ magnæ Britanniæ, Franciæ, et Hiberniæ Rex, Fidei Defenſor &c. Dilectis Præpoſito, Sociis, et Scholaribus Collegii ſanctæ et individuæ Trinitatis juxta Dublin; necnon omnibus in aliquâ dignitate, aut officio, ibidem conſtitutis; univerſis denique membris, atque miniſtris dicti Collegii, Salutem. PER Libellos ſupplices Nobis ex parte Collegii veſtri exhibitos, perque teſtimonium perdilecti et perquam fidelis Conſanguinei, et Conſiliarii noſtri Thomæ Vice-comitis Wentworth Deputati noſtri Generalis Regni noſtri Hiberniæ, nec non in partibus Regni noſtri Angliæ Borealibus præſidentis; Intelleximus

regulam adminiſtrandi Collegii illius, omniumque ad idem pertinentium, in multis valdè imperfectam eſſe, præſentiumque perſonarum, rerum, et temporum, conditioni minùs idoneam, unde plurimum ſingulis ibidem degentibus incubuerit detrimenti; Ad Statutorum denique confirmationem neutiquam adhùc acceſſiſſe Authoritatem Regiam, quam ut Nos concedere dignaremur, humillimè petiiſtis: NOS igitur, cum ſacræ Fidei Defenſioni (ad quam Solium noſtrum divina bonitas evexit) auſpicatam ſubditorum nobis Collegiorum Gubernationem vel plurimùm conferre cenſeamus, votis veſtris gratioſè annuentes, librum quendam Statutorum per Reverendiſſimum Patrem et perdilectum Conſiliarium noſtrum Gulielmum Archiepiſcopum Canturienſem, ſtudioſè atque fidelitèr confectum, et poſt maturam uniuſcujuſque rei examinationem, manu ſuâ ſubſcriptum, et ad nos delatum Inſpeximus ſimul et approbavimus: Eundemque librum, et ſingula Statuta, atque ordinationes in eodem contentas, auguſtiſſimi nominis noſtri inſcriptione

tione ad omnem Juris effectum ratificamus. Confirmationiſque noſtræ, et Authoritatis regiæ vim et robur, iiſdem per præſentes impertimus. Vobis igitur veſtriſque dehinc in eo Collegio Succeſſoribus, eundem Librum Statutorum in membranâ conſcriptum; de octoginta et octo paginis in folio minore conſtantem, in capite primæ paginæ auguſtiſſimo nomine noſtro per nos (ut præfertur) inſcriptum, atque in imo uniuſcujuſque paginæ per dictum Archiepiſcopum ex mandato noſtro ſignatum, pro ſummâ, quâ ſub Deo fungimur authoritate, in Collegii ſacroſanctæ et individuæ Trinitatis juxta Dublin regimen, reique veſtræ publicæ adminiſtrandæ regulam, pro nobis, hæredibus, et ſucceſſoribus noſtris damus, et concedimus per præſentes. Mandantes univerſis, et ſingulis, ſub virtute debitæ obedientiæ, ut pro ſe quiſque, quatenus ad ipſum (pro ſuo cujuſque loco aut munere) ullâ ex parte pertinebunt, eadem Statuta fidelitèr obſervet, atque obſervari curet, adque ipſorum præſcriptum ſeſe in omnibus componat, ſub

Pænâ

pænâ quæ incumbit. IN CUJUS REI TESTIMONIUM Literas has noſtras fieri fecimus patentes, dictumque Statutorum librum literis iſtis affigi atque connecti mandavimus. TESTE præfato Deputato noſtro generali Regni noſtri Hiberniæ apud Dublin, viceſimo quinto Die Maii, Anno Regni noſtri decimo tertio.

CARLETON.

IRROT: Litæ patent: confirm: in Rotul: paten: Canc: Hiberniæ Anno Regis Caroli decimo tertio et exam: per

CHR: WANDESFORDE Mag: Rot:

STA-

STATUTUM

DE

BIBLIOTHECA

BENE ORDINANDA.

Statutum de Bibliotheca benè ordinandâ.

GEORGIUS Secundus Dei Gratiâ Magnæ Britanniæ, Franciæ, et Hiberniæ Rex, &c. OMNIBUS ad quos præſentes Literæ noſtræ pervenerint ſalutem.

CUM ex Munificentiâ ſereniſſimorum Principum, Annæ nuper Reginæ, et Regis Georgii primi chariſſimi Patris noſtri, ex ſupplicatione honorabilium Senatorum de Domo Communium in Parliamento congregatorum in regno noſtro Hiberniæ, extructa ſit in Collegio Sacro-Sanctæ et Individuæ Trinitatis juxta Dublin Bibliotheca nova et ampla; Numerumque Liborum, ut et aliarum

rum rerum quæ ad cultum Bibliothecæ pertineant, multum auctiorem fore ſperamus; Cumque in Statuto de Bibliothecario jam extanti mutari quædam debent, et plura deſiderantur; Ideoque Præpoſitus et Socij Seniores dicti Collegij humillime petierunt a Nobis, (quo melius de tutâ Librorum tam impreſſorum quam manuſcriptorum cuſtodiâ, ut et aliarum rerum quæ in Bibliothecâ reponi poſſint, cautum ſit) ut Statuta pro meliore gubernatione Bibliothecæ et Bibliothecarij iis concedere dignaremur.

Sciatis igitur quod Nos ex ſpeciali Noſtrâ Gratiâ, ac ex certâ Scientiâ et mero Motu noſtro; necnon ſecundum tenorem et effectum Literarum noſtrarum Manu noſtrâ propriâ Signat: et Sub ſigneto noſtro gerent: Dat' apud Curiam noſtram apud Kenſington 30 Julij 1734, Annoque Regni noſtri octavo, et nunc in Rotulis Curiæ Cancellariæ noſtræ in dicto Regno noſtro Hiberniæ irrotulat: ac etiam pro ſingulari favore quo Collegium dictum noſtrum proſequimur; et ut tam Libri quam alia omnia quæ in Bibliothecâ

othecà reponentur tutò in uſum Studentium ibi cuſtodiantur, Statuta ſequentia Regiâ noſtra Authoritate ſancimus, omnibuſque ad quos pertineat, in poſterum obſervari mandamus.

CAPUT I.

De Bibliothecario.

VOLUMUS et Statuimus ut Bibliothecarius talis ſit qualis in Statutis Collegij deſcribitur, Vir frugi, quique domi ſe continere ſolitus ſit, ſtudiis deditus, et librorum ſtudioſus: quodque vel ex Sociis vel ex Artium Magiſtris qui Socij non ſint (non quotannis, ſicut antea, ſed quandocunque locus vacaverit) a Præpoſito et Sociis Senioribus aut majore parte eorum in Bibliothecarium eligatur. Sic vero electus Officium iſtud retineat, donec a Præpoſito et majore parte Seniorum (ut inferius dirigitur) amoveatur. Et ut majore cum alacritate et diligentiâ ad munus ſuum ſe accingat, eique ſtudioſe incumbat, Salarium ſexaginta ad minimum Librarum ei annuatim

nuatim ſolvendum eſſe Volumus: quod in poſterum a Præpoſito et Sociis Senioribus augeri, ſi ita iis viſum fuerit, permittimus et hortamur, ſi res Collegij augmentum ejuſmodi patiantur: idque licet aliorum officiariorum ſalariis nulla fiat additio; eo quod hujus officium ſit valde oneroſum; atque ex ejus curâ et diligentiâ tuta hujus theſauri literarij cuſtodia imprimis dependeat: Qui quidem Bibliothecarius poſtquam electus ſit, priuſquam claves Bibliothecæ ei tradantur, juramento obſtrictus fidem dabit Præpoſito in ſacello in præſentiâ Sociorum et Scholarium (ſicut et Officiarij alij) ſe munus ſibi demandatum fideliter exerciturum; juxta hæc et alia Statuta hujus Collegij, quæ hiſce non repugnant. Poſt juramentum ſuſceptum et claves ei traditas, quotidie ab horâ octavâ antemeridianâ ad decimam, et ſecundâ pomeridianâ ad quartam, in Bibliothecâ intererit, diebus feſtis exceptis, uti et ſeptimanis tribus a 23° Decembris ad 14° Januarij proxime ſequentis. Clavem vel claves Bibliothecæ ſolus habeat Bibliothecarius; nec alicui præterea

terea habere fas ſit: quam vel quas ille penes ſe ſemper retinebit et in tuto ſervabit, nec alicui unquam eam vel eas tradet aut commodabit; nec ab alio eam vel eas tradi aut commodari permittet; niſi ubi ipſe ægrotaverit, vel urgente aliquâ de cauſâ, cum veniâ Præpoſiti et Sociorum ſeniorum vel majoris partis eorundem per tempus aliquod abfuerit; in quo caſu a Præpoſito et majore parte ſenorium Sociorum ſubſtitui volumus quendam ex Sociis vel Magiſtris, qui vicem ejus pro tempore ſupplebit: (niſi delegatus fuerit aliquis ab iiſdem in poſterum ut ei aſſiſtat; Qui quidem delegatus vel ſubſtitutus eodem juramento ac Bibliothecarius ipſe ad eadem præſtanda obſtringetur.) Neminem Bibliothecarius, vel ſpectandi cauſâ, in Bibliothecam niſi ſe præſente admittat; nec niſi ſe præſente aliquem Libros de loco ſuo deſumere aut evolvere permittet, præter eos qui (juramento infra præſcripto coram Præpoſito ſuſcepto,) ab eo, cum conſenſu majoris partis Sociorum ſeniorum, ad uſum Librorum impreſſorum admiſſi fuerint;

eoſque qui a Sociis hujus Collegij aut Artium Magiſtris in Collegio degentibus in Bibliothecam (ut inferius permittitur) ſtudendi causâ introducantur. Eos autem qui ad uſum Librorum admiſſi ſunt, obſervabit Bibliothecarius quomodo ſe gerant; et ne Libros niſi in loca ſua propria reponant, et ne ullo modo eos corrumpant aut contaminent, curabit; eorumque qui negligenter ſe gerant, et otiandi potius quam ſtudendi causâ Libros evolvunt, perturbant, aut alio aliquo modo contra hæc Statuta aut alia delinquant, nomina Præpoſito deferat: qui eos pro negligentiâ ex arbitrio ſuo mulctabit, et pro damno aliquo illato ad minimum duplo. Librum nullum vel ipſe Bibliothecarius, e Bibliothecâ aſportabit, vel alicui inde aſportandum, vel mutuo dandum tradet, nec ab aliquo quâcunque de cauſâ aſportandum inde permittet. Quod ſi in his deliquerit, primâ vice in duplum valoris Libri aſportati aut mutuo dati a Præpoſito mulctabitur, ſecundâ vice in quadruplum, tertiâ vice in quintuplicem; ac præterea ab Officio penitus amovebitur.

vebitur. Curabit etiam Bibliothecarius quod ſervus, qui propterea ibi ei aſtabit, Libros aliquos quotidie abſtergat: adeo ut a pulvere et ſordibus externis, quantum fieri poſſit, purgati omnes ſerventur. Sin autem maculis interioribus tingantur aliqui, quibus ab eo expurgari nequeunt, aut ſi, ut de novo compingantur, neceſſe fuerit, de eis Præpoſitum certiorem faciet, ut quod fieri neceſſarium videbitur Burſarius eo præcipiente fieri curabit.

Quod ad cameram interiorem Bibliothecæ ubi Codices Manuſcripti Librique Sculpturæ et Picturæ, Numiſmata, Signa, et alia majoris pretij reponuntur, ſtatuimus quod Bibliothecarius fores clauſas ſemper habeat, niſi ipſe ingreſſurus ſit: nec niſi ſecum ingredientes aliquos introire, Codicibus aut Libris iſtis, niſi ipſo præſente, uti, nec ipſo egrediente quempiam in eo manere permittet, ſed ipſe egrediens fores occludat et obſerabit. Scrinia in quibus Numiſmata Signa aut alia majoris pretij continentur (præcipue cum plures adſint, et qui ſpectandi gratiâ ſolum-

modo veniunt) nequaquam aperiet, niſi Præpoſito, aut eo abſente, ſaltem Vice-Præpoſito conſulto, et conſentiente. Neque cum aperta fuerint, Numiſmata, Signum, aut ejuſmodi quidpiam, de loculo ſuo deſumere, aut tractare permittet aliquem, niſi ipſo tradente, et ut ſtatim reddatur et reponatur, curante: Ideoque ſcriniorum claves ipſe ſemper retinebit, nec alicui alij uſquam tradet vel commodabit, niſi in iiſdem caſibus, et cum eâdem veniâ Præpoſiti et Sociorum ſeniorum, ac antea permittitur clavem vel claves Bibliothecæ tradere et commodare. Quod ſi Præpoſitus et major pars Sociorum ſeniorum, pro tempore exiſtentes, Bibliothecarium in re aliquâ defuiſſe vel negligenter ſe geſſiſſe deprehendant; illum monebunt, et ſi ita iis viſum fuerit mulctabunt, et ſi ſæpe et graviter delinquat, amovebitur.

CAPUT

CAPUT 2.

De Libris et aliis rebus in Bibliothecâ repoſitis et reponendis.

QUAM primum Libri omnes aliaque omnia quæ in Bibliothecam novam transferenda ſunt, eo deferri queant, et ſecundum ordinem deſignatum locis ſuis fuerint collocata, Statuimus ut, omnium Librorum qui in Bibliothecâ ſint, integer et perfectus conficiatur Catalogus. In quo ad locum quemlibet cujuſcunque Libri, cum notis annexis quibus quilibet ſignatus fuerit, referetur. Idem fieri Volumus in camerâ Bibliothecæ interiore ubi ſunt Codices MSS. Et ſingulorum in quolibet Volumine tractatuum, Librorum impreſſorum, et omnium quæ in ea deponuntur fieri etiam Catalogum volumus, in quo ad loca, ubi reperiantur ſingula, relatio fiat. Et ut ſupellex hæc literaria tuta integra et ordine recte diſpoſita ſemper conſervetur; Statuimus præterea ut Præpoſitus, vel eo abſente, Vice

Præpoſitus

Præpoſitus, cum majore parte Sociorum ſeniorum domi præſentium, ſingulis annis in diebus certis (incipiendo a die Lunæ, qui tertius in menſe Octobris inciderit) et quandocunque illis præterea viſum fuerit; Bibliothecam ſolenniter adeant, curabuntq; ut Libri et omnia alia in locis ſuis prout diſponi debent integra adſint. Ideoque Bibliothecam et cameram interiorem perluſtrabunt et ſingulos Libros prout in claſſibus et tabulis cujuſcunque claſſis depoſiti fuerint, exquirent et inſpicient; et ſi Liber aliquis ſit ablatus, aut in Bibliothecâ non reperiatur, aut ſi in Bibliothecâ depoſitum quodvis aliud defuerit, ut præſto illis non ſit, ſtatim, aut quam cito fieri poſſit, alium ejuſdem editionis et conditionis Librum, aut aliud ejuſdem generis (quodcunque ſit quod deerit) e Salario Bibliothecarii Burſarius præſtabit et Bibliothecæ reddet.

CAPUT

CAPUT 3.

De iis qui in Bibliothecam ad uſum Librorum admittantur et eorum Juramento.

STATUIMUS etiam quod ex iis qui in Collegio degant, non alii ad uſum Librorum in Bibliothecam admittantur, quam qui ſaltem Gradum Baccalaureatûs in Artibus ſuſcepêre; et ex iis iſti ſoli qui (præſtito prius juramento infra præſcripto) Præpoſito et Sociis ſenioribus coram Deo fidem dabunt de Libris, aliove Bibliothecæ cultu non ſuripiendis, aut quo modo corrumpendis, et de ſeipſis, modeſtè, et prout ſtudioſis decet, ibi gerendis, et ſtatutis hiſce obſervandis. Quod Juramentum præſtari quoque volumus a Præpoſito, Sociis ſingulis, omnibuſque aliis, qui aditum ad uſum Librorum petant, priuſquam concedatur.

" EGO *A. B.* ſanctè coram Deo promit-
" to, et JURO, quoties in Bibliothe-
" cam

" cam hujus Collegij venire contigerit,
" Libros, cæteramque Supellectilem
" ſic tractaturum, ut ſupereſſe quam
" diutiſſimè poſſint. Juro etiam, quod
" neque ipſe Librum aliquem aſporta-
" bo, ſpontè corrumpam, interſcribam,
" aut alio quovis modo abutar, nec ab
" aliis hæc fieri (quantum in me eſt)
" permittam. Eorum vero nomina,
" qui in hiſce deliquerint, intra tridu-
" um poſtquam de iis cognovero, Præ-
" poſito vel Bibliothecario deferam.
" Quæ omnia et ſingula, et omnia
" Bibliothecæ Statuta, quantum ad me
" attinet, me fideliter obſervaturum
" promitto et ſpondeo: Ita me Deus
" adjuvet, tactis Sacro-Sanctis Chriſti
" Evangeliis.

Volumus etiam ac Statuimus ut Nemo niſi Socius hujuſce Collegii fuerit, aut ſaltem in Artibus Magiſter in Collegio degens, quique dictum juramentum præſtitit, extraneum aliquem aut injuratum, ſtudendi cauſa

ſâ, in Bibliothecam introducat; Qui Socius vel Artium Magiſter ei aſtabit vel aſſidebit, quamdiu Libro quolibet utetur, et Bibliothecario, de Libro reddendo indemni et illæſo, ſpondebit et cavebit; Qui vero in hoc caſu deliquerit, præter pænam pecuniariam ex arbitrio Præpoſiti infligendam, a Bibliothecâ penitus excludatur; et ſi quis in Bibliothecam admiſſus, de nomine ſuo a Bibliothecario interrogatus, ſtatim juxta veritatem non reſpondebit; ſi injuratus ſit, immediate a Bibliothecâ amovebitur: ſi vero juratus ſit, a Bibliothecâ etiam penitus excludatur; ſemel vero excluſi nunquam iterum in Bibliothecam admittentur, niſi cum conſenſu Præpoſiti et Sociorum ſeniorum, vel majoris partis eorundem. Statuimus etiam ut inter legendum nemo ſuper Librum aliquem ſcribat, ne vel atramenti ſuffuſione, vel foliorum replicatione, vel ſordibus inde contractis, Liber contaminetur. Qua in re negligens ſiquis fuerit, tenebitur Bibliothecarius eum mulctare; prima vice quinque Solidis, ſecunda vice, decem; tertia vice penitus ab ingreſſu

ingreſſu in Bibliothecam prohibebitur, idque etiam ſi nullum adhuc damnum inde conſecutum ſit. Quod ſi Liber aliquis inde, vel quocunque alio modo corrumpatur, aut in quâlibet ejus parte contaminetur, mulctabitur is, cujus culpâ aut negligentiâ, iſtud damnum contigerit, in duplum Libri vel Librorum, (ſi plures ſint) valorem. Præterea curabit diligentur Studioſus quilibet ut Librum a manibus ſuis depoſitum, in locum ſuum, ſecundum Libri ordinem, et notam, reponet: qui neglexerit, ſolvat, toties quoties, tres ſolidos. Quod ſi ſæpius quis de eo monitus deliquerit, ad arbitrium Præpoſiti, et Sociorum ſeniorum punietur. Statuimus etiam quod quilibet juratus, ſi ei probè conſtiterit, injuratum aliquem, aut non admiſſum, prout in hiſce Statutis exigitur, ſtudendi ergo, in Bibliothecâ commorari; nomen ejus ſtatim Bibliothecario deferat et annunciet, ut ab eo maturè proſpiciatur, ne quid detrimenti Bibliotheca inde capiat. Nemo otioſus per Bibliothecam ambulabit, neque ſtrepitum, qui Studentibus impedimento

impedimento aut incommodo eſſet, commovebit. Quicunque Bibliothecam ingreditur quamprimum Librum ab eo deſideratum reperiat, aut ei (quamprimum reperiatur) a Bibliothecario oſtendatur, eo ſe recipiet, et ibi quietè et modeſtè ſedebit, quouſque Bibliothecarius ſit egreſſurus: ſecus facientes, Præpoſitus puniet, quum eorum nomina a Bibliothecario ad eum delata fuerint, et gravi pænâ, ſi aliquis ſæpius deliquiſſe deprehenddatur. Ignem, Candelam accenſam, vel aliud aliquid unde ignis accendatur, in Bibliothecam ſub ullo prætextu, inferri omnino prohibemus, ſub pænâ a Præpoſito et Sociis Senioribus infligendâ. Sed ſi Libros aliquos aliquâ de cauſâ, ad ignem admovere ſit neceſſe, illos in Cameram Bibliothecarii proxime adjacentem aſportari, ubi et ignem accendi, cum ei ita viſum fuerit, permittimus; quem tamen ignem, quolibet veſpere, diſcedens extingui ſedulo curabit. Nolumus etiam omnino ut vel ille vel aliquis alius ibi pernoctet, aut lectum ponat, aut aliquem eo inde diſcedente, ibi poſt ſe relinquat, ſed diſcedens fores omnes claudet ipſe et obſerabit.

Concluſio.

DENIQUE cum omnia ſimul proſpicere nequeat humana prudentia, unde et incommoda quædam ſuboriantur nondum prævisa, quæ Bibliothecarium, aut tutam rerum in Bibliothecâ cuſtodiam; admiſſionem quorundam ad uſum Librorum; modumve ibi ſtudendi, reſpiciant; quibus autem occurrere neceſſarium ſit: idcirco ſicut et in corpore Statutorum antea conceſſum fuerat, poteſtatem et authoritatem concedimus Præpoſito et Sociis Senioribus, pro tempore exiſtentibus; ut in ejuſmodi caſibus omiſſis ubi nil certum, aut in corpore Statutorum, aut in hiſce Statutis proviſum aut definitum ſit; Decreta nova condant, modo Statutis noſtris non repugnent, et conſenſum habeant Viſitatorum: Quæ quidem Statuta vim obligandi habere Volumus, donec ceſſante cauſâ, viſum fuerit Præpoſito, et Sociis Senioribus, vel majori parti eorundem, eadem Decreta cum Conſenſu Viſitatorium reſcindere.

STATUTUM

STATUTUM

DE

CULTU

DIVINO IN DOMINICIS QUADRAGESIMALIBUS.

Statutum de Cultu divino in Dominicis quadrageſimalibus.

CUM in Capite nono Statutorum, de Cultu divino, ſtatutum ſit ut Præpoſitus, Socii, Scholares, omneſque Studentes in Collegio commorantes, in Dominicis Quadrageſimalibus Eccleſiam Cathedralem Sancti Patricii ſolennitèr adeant, ibique Concionem habeant tempore pomeridiano; compertum autem ſit, multa exinde, et gravia incommoda Collegio eveniſſe; ideoque Præpoſitus et Socii Seniores dicti Collegii a Nobis humillime petierunt, quòd remedium incommodo illi gratioſè præſtare dignaremur: VOLUMUS ergo et STATUIMUS, ut in poſterum Præpoſitus, Socii, et Scholares dicti Collegii non teneantur prædictam Eccleſiam Sancti Patricii, tempore Quadrageſimali ſolennitèr adire, nec Concionem ibi habere; ſed ut iſtis, prout aliis diebus dominicis,

preces Deo publice offerantur in Sacello Collegii tempore pomeridiano.

Proviſo ſemper, quod hæ Literæ noſtræ patentes irrotulentur in Rotulis Curiæ Cancellariæ noſtræ in dicto Regno noſtro Hiberniæ infra ſpatium ſex Menſium poſt Datum præſentium. IN CUJUS REI TESTIMONIUM, has Literas noſtras fieri fecimus patentes. TESTE Juſticiario Generali et Generali Gubernatore noſtro dicti Regni noſtri Hiberniæ, apud Dublin, viceſimo Die Februarii, Anno Regni noſtri octavo.

DOMVILE.

Irrot: in Rotul: Paten: Canc: Hibern: decimo Die Martii, R: Georgii ſecdi octavo, et examin: per

Dav^d. De Limares D. C. Rot.

STATUTA

STATUTA SERENISSIMI

REGIS GEORGI TERTII

DE

PROFESSORIBUS, &c.

Statuta ſereniſſimi Regis Georgii tertii de Profeſſoribus, &c.

CUM EX MUNIFICENTIA regiâ cariſſimi Avi noſtri Regis Georgii ſecundi permagna nuper facta ſit acceſſio ad annuos reditus COLLEGII SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS ELIZABETHÆ REGINÆ JUXTA DUBLIN; ideoque Præpoſitus, Socii, et Scholares dicti Collegii humilitèr à Nobis petierunt, ut in dicto Collegio Profeſſiones quædam fundentur, aut uberiùs dotentur: et ut quædam nova Statuta ad promovendam Scientiam in illis Profeſſionibus neceſſaria, Authoritate noſtrâ regiâ condantur: atque etiam, ut quædam Statutorum, quæ nunc in eodem Collegio vigent, in aliquibus quæ uſu minùs commoda eſſe inveniuntur, mutentur: Nos illorum deſiderio in hâc parte favere volentes, utpotè quod

ad

ad decus et honorem Collegii, atque ad doctrinam promovendam tendit: Statuta ſequentia Authoritate noſtrâ regiâ munimus, omnibuſque ad quos pertineat in poſterum obſervari mandamus: Statutis ejuſdem Collegii, quæ nunc in uſu ſunt, atque quæ his repugnant, in contrarium non obſtantibus.

CAPUT I.

De Profeſſore in Sacrâ Theologiâ.

CUM Sereniſſimus Rex Carolus ſecundus Literis Datum gerentibus Weſtmonaſterii, decimo octavo Maii, Anno Domini, milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto, Præpoſito et Sociis Senioribus tunc exiſtentibus Mandata dederit de Profeſſoris in Theologiâ Salario ad ſummam octoginta librarum annuatim augendo; cum verò permultum refert, ut Juventus Academica, illi præſertim qui ſacris Ordinibus deſtinantur, in ſacris literis, et religionis Chriſtianæ doctrinis diligentiùs

diligentiùs erudiantur, in quem præcipuè finem fundatum fuit hoc Collegium: et cum ad hunc finem magnopere videtur conducere, ut Vir aliquis gravis, et doctus, in Profeſſionem ſacræ Theologiæ eligatur qui huic Officio fungendo tempus omne et ſtudium impendere poſſit, atque illi ſoli (aliis omnibus Officiis expeditus) incumbere: Statuimus, ut ſemper in futurum (quotiès contigerit Profeſſoris ſacræ Theologiæ locum vacare) eligatur in Profeſſorem ſacræ Theologiæ aliquis ex numero Sociorum Seniorum intra tres menſes à vacatione cognitâ ſub nomine PROFESSORIS REGII in ſacrâ Theologiâ, per Præpoſitum, vel eo abſente, Vice-præpoſitum, et majorem partem Sociorum Seniorum. Qui Profeſſor ſic electus, ſtatim poſt electionem et admiſſionem, omni jure, poteſtate, et privilegio Socii cedat: locuſque ejus inter Socios ſit vacuus: atque ad ea ſola quæ inferiùs deſcribuntur officia tenetur, omnibus aliis officiis, vel uſu requiſitis, vel Literis Caroli ſecundi ſupradictis deſcriptis, prorſùs ſolutus et immunis.

PROFESSORIS

PROFESSORIS in ſacrâ Theologiâ AUDITORES ſunto Baccalaurei omnes per duos extremos, inter ſuſceptum Baccalaureatûs Gradum, et Magiſterii in Artibus ſuſcipiendum, annos, (exceptis illis qui nomina Juribus aut Medicinæ dederint) atque Magiſtri primi, et ſecundi Anni.

PROFESSOR in Termini cujuſque initio Prælectionem habeat continuam, in quâ ordo et materia ſtudiorum iſtius Termini tradatur et exponatur. Bis in quâque ſeptimanâ durante Termino Lectionem habeat: explicet in illa Lectione Scripturas ſacras: exponat etiam Controverſias cum omnibus, tam Religionis Chriſtianæ, quàm Eccleſiæ noſtræ adverſariis: Lectiones etiam et Examinationes in Hiſtoriâ eccleſiaſticâ habeat: Libros Studentibus aſſignet, quos Præpoſitus et Socii Seniores approbent, in quibus diligentèr examinandi ſunt. Exercitia in Theologiâ facienda præſcribat, ſub pænâ ad arbitrium Præpoſiti, vel eo abſente, Vicepræpoſiti, negligentibus infligendâ. Ad finem cujuſque Termini nomina

mina illorum qui, vel ob negligentiam notandi, vel diligentiâ insignes fuerint, ad Præpositum, vel eo absente, Vicepræpositum deferat. Professor Moderator esto in Disputationibus propter Gradus in Theologiâ. Professor etiam quatuor Conciones habeat Diebus Dominicis, temporibus anni per Præpositum, vel eo absente, Vicepræpositum, assignandis: materia harum Concionum sit confirmatio Christianæ Religionis. Professor post electionem admittatur et confirmetur in Officium per Cancellarium, aut in ejus absentiâ, Vicecancellarium; sic ut nunc est: Et sic admissus durante Vitâ naturali (iis conditionibus præstitis quæ per hæc Statuta requiruntur) Locum teneat.

Quod si Professor sacræ Theologiæ qui nunc unus est ex Sociis Senioribus vult locum Professoris (cum Salario, et juxta conditiones, quæ per hoc Statutum præscribuntur) accipere; Volumus, ut resignationem loci Professoris prout illum nunc tenet in manus Præpositi, vel illo absente, Vicepræ-

poſiti tradat, et hâc reſignatione factâ, licitum eſſe Præpoſito, vel eo abſente, Vicepræpoſito cum majore parte Sociorum Seniorum, illum in Profeſſorem ſacræ Theologiæ, cum Salario, et juxta conditiones quæ per hoc Statutum præſcribuntur, eligere: Atque ut locus ejus inter Socios ſtatim poſt ejus electionem, acceptationem, et admiſſionem, ſit vacuus, et derelictus. Huic Profeſſori ſalarium ordinamus et aſſignamus quingentarum librarum Sterlingarum annuatim, è Reditibus ejuſdem Collegii, à Burſario, per ſingulas anni Quartas, eodem quo cætera ſalaria modo ſolvendum.

CAPUT 2.

De Profeſſore Juris feudalis atque anglici.

ET quoniam apud omnes cultiores Gentes Municipalium Legum Studia ſummo ſemper in honore ſint habita, utpote quæ non ſolum maximo

maximo ſint ornamento optimatibus, et Principibus Civitatis; ſed et ſaluti ejus apprimè neceſſaria: Et cum ex nuperâ Fundatione Profeſſoris Juris anglici in celeberrimâ Academiâ Oxonienſi plurima emolumenta in Academiam iſtam et regnum jam fluxiſſe compertum ſit. Viſum eſt Nobis, pro ſingulari favore, quo Juventutem ſtudioſam in Regno noſtro Hiberniæ et Academiam illuſtriſſimam Dublinienſem proſequimur, Profeſſorem Regium Juris feudalis atque anglici in eâdem Academiâ conſtituere. Ideò volumus, et ſtatuimus, ut intra tres Menſes poſt Irrotulationem harum Literarum noſtrarum patentium in Cancellariâ noſtrâ dicti Regni noſtri Hiberniæ, et ita deinceps, de tempore in tempus, quotieſcunque locus talis Profeſſoris vacaverit, intra tres menſes poſt vacationem cognitam, Vir idoneus, et Legum peritus, eligatur in Profeſſorem regium Juris feudalis atque anglici in Academiâ Dublinienſi.

Neminem verò volumus in hunc Locum eligi, qui non ſit Juriſta, per Biennium ad

minimum admiſſus ad placitandum in Curiis regiis dicti Regni noſtri. Talis Profeſſor eligatur in officio permanſurus vel ad terminum vitæ naturalis, vel ad terminum annorum, ad arbitrium dictorum Electorum, prout ipſis Academiæ viſum erit expedire: Et quam citiſſimè fieri commodè poterit poſt Electionem, Electus in dictum officium Profeſſoris publicè in Sacello dicti Collegii à Præpoſito, vel Vicepræpoſito admittatur, præſtito priùs juramento eidem Præpoſito, vel Vicepræpoſito (cui tale juramentum adminiſtrandi poteſtatem per præſentes concedimus) de munere illi demandato fidelitèr exercendo. Profeſſorem ſic admiſſum, et officio ſuo juxta hæc Statuta, et alia Decreta à Præpoſito, vel eo abſente, Vicepræpoſito, et majore Parte Sociorum ſeniorum, in poſterum, ut infra dictum eſt, conficienda, ſedulo fungentem, Volumus omnia emolumenta eidem officio competentia percipere durante termino ſuo, ſive vitæ, ſive annorum fuerit, prout electus erat à dictis Electoribus.

Si

Si autem quiſpiam Sociorum huic muneri adimplendo par ſit, et à dictis Electoribus in Profeſſorem eligatur; Volumus, et per præſentes Statuimus, ut is eligatur, in officio permanſurus (iis conditionibus præſtitis quæ per hæc Statuta requiruntur) ad terminum vitæ naturalis: Ideoque Volumus, et Statuimus, ut ſtatim poſt admiſſionem prædictam Locus ſuus inter Socios dicti Collegii ſit ipſo facto vacuus, et derelictus: Statutis ejuſdem Collegii, de duratione Sociorum ad terminum vitæ, in contrarium non obſtantibus.

PROFESSORIS MUNUS eſto Juventutem Juris ſtudioſam bis in quâque ſeptimanâ per dimidiam anni partem in elementis Juris feudalis atque anglici diligentèr erudire: eruditionem hanc per ſolas prælectiones peragi Nolumus, ſed cum examinatione Studentium, in Libris à Profeſſore nominandis, et à dictis Electoribus approbandis, conjungantur ejus Prælectiones, res (difficiles præſertim) explicantes, altius repetentes, et mutationes (ſi quæ fuerint) legum, earumque

cauſas indicantes. Huic Profeſſori Salarium aſſignamus trecentarum et ſexaginta librarum ſterlingarum annuatim, per ſingulas anni Quartas, à Burſario, è reditibus collegii, ſolvendum: præterèa, annuum Salarium geſtæ Tutelæ nomine pro arbitrio Præpoſiti, et majoris Partis Sociorum Seniorum à Studentibus in Jure anglico accipat.

CAPUT 3.

Statutum de Profeſſoribus tam ſacræ Theologiæ, quam juris feudalis atque anglici.

PRÆPOSITO, et majori parti Sociorum Seniorum, quorum curæ in his maximè confidimus, poteſtatem concedimus per præſentes, non ſolùm conſtituendi, et nominandi, et ſi eis ita viſum fuerit, mutandi dies, et horas quibus Profeſſores hi, tam ſacræ

cræ Theologiæ, quàm Juris feudalis atque anglici, Prælectiones ſuas habere teneantur; ſed etiam, alia decreta de iiſdem ſtudiis felicitèr dirigendis cum conſenſu Viſitatorum condendi; eademque, ſi eis ita viſum fuerit, cum eodem conſenſu mutandi, aut abrogandi: Et talia omnia decreta, modo hiſce Statutis noſtris non repugnent, regiâ authoritate, dum vigent, munimus: Eaque, Profeſſoribus exequenda, et Studentibus obſervanda, præcipimus ſub pœnis in eiſdem nominandis.

Si verò Profeſſorum horum utervis in Officio exequendo manifeſtè negligens fuerit, et bis propter negligentiam per Præpoſitum, vel eo abſente, Vicepræpoſitum coram Sociis Senioribus admonitus, adhuc in negligentiâ perſeveraverit; tum per Præpoſitum, vel eo abſente, Vicepræpoſitum, et majorem partem Sociorum Seniorum, citetur ad reſpondendum de tali negligentiâ; tempuſque ei aptum ad ſe defendendum in Citatione aſſignetur: Et ſi, cauſâ auditâ, manifeſtè fuerit negligentiæ convictus; tunc per Præpoſitum

ſitum, vel eo abſente, Vice-præpoſitum, et majorem partem Sociorum Seniorum, loco amoveatur. Sententia Amotionis in Aulâ promulgetur.

Profeſſores autem Jus habeant ab illâ Sententiâ ad Viſitatores ejuſdem Collegii appellandi, modò Appellatio illa ſit intra triduum à Sententiâ Amotionis promulgatâ, coram Præpoſito, vel Vicepræpoſito, interpoſita: Quo caſu Appellationis intra triduum interpoſitæ, nolumus ejus Locum vacare, aliumvè ſubrogari, donec materia Appellationis à Viſitatoribus ultimatìm determinetur: Quibus per præſentes præcipimus talem Appellationem per Sententiam ſuam finalem, quàm citiſſimè (ſalvà ſemper juſtitiâ) poterint, concludere et definire, ſecundùm æquum et bonum, ſolum Academiæ et Juventutis ſtudioſæ rationem habentibus. Iiſque proinde concedimus poteſtatem per præſentes talem Sententiam Amotionis, ut antea dictum eſt prolatam, confirmare et ratam habere, vel irritam reddere, vel in aliquibus in melius mutare, prout juſtitia iis videbitur exigere.

Profeſſorem

Profeſſorem autem, pendente Appellatione, quoniam Sedes ejus nondum vacat, ad omnia munia Profeſſoris obeunda, donec finalis Sententia ſit prolata, ſtrictìm obligamus: Et ſi, pendendente Appellatione, in aliquo negligenter ſe geſſerit, præcipimus Viſitatoribus in hoc, ante Appellationem auditam, inquirere; et ex omnibus judicare, an Loco dignus ſit amoveri, aliterve puniri.

Quod ſi conſtiterit dictis Electoribus, ut quivis horum Profeſſorum morbo, vel quâvis aliâ cauſâ neceſſariâ impediatur, ita ut non ſit officio exequendo idoneus, concedimus in his caſibus Præpoſito, vel eo abſente, Vicepræpoſito, una cum majore parte Sociorum Seniorum, proteſtatem, ſufficientem Deputatum pro Tempore talis Impedimenti conſtituendi, et partem Profeſſoris Stipendio deducendam illi attribuendi; ità, ut pars illa non excedat ſummam centum Librarum Sterlingarum annuatim: Qui quidèm Deputatus juramento coram Præpoſito, vel Vicepræpoſito, ſuſcepto, tenebitur ad fidelitèr exercendum munus ſibi demandatum juxta hæc Statuta. Eandem

proteſt-

proteſtatem concedimus Præpoſito, vel eo abſente, Vicepræpoſito, unà cum majore parte Sociorum Seniorum, in Profeſſoris abſentiâ, gravi tantùm de cauſâ ab iiſdem permittendâ.

CAPUT 4.

De Profeſſore Linguæ græcæ.

CUM per Caput Statutorum decimum quintum unus é Sociis Senioribus eligendus eſt in Prælectorem græcum; et cum Officium illi præſcriptum multi ſit laboris et maximæ utilitatis; et Salarium illi adhuc aſſignatum tanto oneri ſit impar: Volumus, et Statuimus, et Prælector hic poſt proximam electionem deinceps ſit, et vocetur PROFESSOR REGIUS LINGUÆ GRÆCÆ in dicto Collegio: Eodemque juramento ad eadem munia teneantur, ad quæ Prælector Senior ejuſdem Linguæ nunc tenetur. Et Salarium huic Profeſſori

Profeſſori allocetur centum Librarum Sterlingarum annuatim.

CAPUT 5.

De admittendâ in Collegium Profeſſione Juris anglici.

CUM in Capite ſeptimo Statutorum ſtatuitur, ut quilibet Sociorum (exceptis illis duobus qui Juriſprudentiæ et Medicinæ Nomina dederunt) intra tres annos a ſuſcepto Magiſterii Gradu ſacrum Preſbyteratûs Ordinem in ſe ſuſcipiat, ſub pæna Amotionis perpetuæ à Collegio: Et cum nobis Viſum fuerit Profeſſionem Juris anglici in hoc Collegium admittere: Volumus et Statuimus, ut in futurum, unus ex numero Sociorum pro arbitrio Præpoſiti, aut eo abſente, Vicepræpoſiti, et majoris partis Sociorum Seniorum, ad ſtudium juris anglici divertatur: Qui

Qui omiſſâ Theologiâ eam Profeſſionem in ſe ſuſcipiat. Nominatio ſive Deſignatio Socii alicujus in hanc Profeſſionem iiſdem ſubjiciatur regulis, quæ in Statutis de Nominatione, vel Deſignatione, in Juriſtam Juris civilis, vel Medicum, præſcribuntur: Iſque Juriſta Juris anglici ita deſignatus iiſdem gaudeat Privilegiis, quibus Juriſta, et Medicus, per Statuta antehac conſtituta fruuntur.

CAPUM 6.

De quibuſdam in Statutis mutandis.

CUM in decimo quinto Capite Statutorum, Libri in Claſſibus prælegendi præſcribuntur, et Diſputationes Claſſibus præſtandæ, atque dies et horæ præſtandis illis aſſignantur; et cum experientiâ invenitur minus aptum eſſe ad progreſſum Studentium

in

in Scientiis certos Libros illis ſempèr prælegendos præſcribere ; atque etiam incommodum eſſe Exercitia et Tempora illis præſtandis non mutanda in perpetuum aſſignare: CONCEDIMUS in futurum per præſentes poteſtatem Præpoſito, unà cum majore parte Sociorum Seniorum, Libros Claſſibus prælegendos cum conſenſu Viſitatorum præſcribendi et nominandi : Et Scholaſtica Exercitia ſingula, atque dies et horas præſtandis illis aſſignandi.

ET CUM per Statutum de Bibliothecâ præſcribuntur horæ quibus Bibliotheca legentibus aperta ſit, ab horâ nempè octavâ antemeridianâ ad decimam, et à ſecundâ pomeridianâ ad quartam ; et cum horæ iſtæ cum cæteris Collegii Officiis non bene conveniunt : CONCEDIMUS Poteſtatem Præpoſito, unà cum majore parte Sociorum Seniorum, horas quibus Bibliotheca legentibus patebit per Statuta nominatas mutandi, et alias conſtituendi, quatuor nempè in Die, prout illis cum cæteris Collegii Officiis optimè videbitur convenire.

ET CUM per idem Statutum de Bibliothecâ, Bibliothecarius ſolus clavem vel claves Bibliothecæ habere debet; et cum minus decorum videtur, ut Præpoſitus Collegii Claves non habeat: JUBEMUS in futurum, ut Præpoſitus claves habeat Bibliothecæ, et Cameræ interioris, quas nulli alteri tradendas ipſe in ſuum uſum ſolummodo ſervet.

CON-

CONSUETUDINES

SEU

REGULÆ

Univerſitatis Dublinienſis.

Pro ſolenniori GRADUUM collatione.

Regulæ Univerſitatis Dublinienſis.

CAPUT 1.

De Authoritate et Officio Vice-Cancellarij.

VICE-CANCELLARIJ eſto, indicere et habere Conventus Academicos, quoties opus videbitur; abſentes a Domo Congregationis, (modò in Collegio commorentur) et diſcedentes inde ſinè veniâ, mulctare; illos duobus ſolidis; hos duodecim denariis.

In gradibus conferendis eam poteſtatem Vice-Cancellarius obtineto; et nemini fas ſit gradum conſequi qui illius judicio indignus cenſeatur; et proinde nullam Gratiam recitabit Procurator niſi quam ipſe approbaverit.

Vice-Cancellarij insuper esto, providere ut Exercitia Scholastica pro Gradibus debitè peragantur; Et ut nemo ad Gradum promoveatur, nisi priùs susceptо Suprematûs Regij Juramento.

Ad ipsum præterea spectet, publicos Academiæ Officiarios ad munera diligenter præstanda adigere. Curet igitur ut bini Procuratores officia sua solerter obeant, cessantes vero pro arbitrio puniat.

Curet porro, ut publicus Sacræ Theologiæ Professor disputationes pro Gradibus Theologicis sedulò moderetur; easque, determinatione in alteram quæstionem factâ, concludat; præterea, ut alternis septimanis, in unoquoque termino, Prælectionem Theologicam habeat; quam si neglexerit, quinque solidis, pro unaquâque vice omissâ, ab ipso Vice-Cancellario mulctetur. Quod etiam de Professore in Utroque Jure intelligi Volumus.

CAPUT

CAPUT 2.

De Capite Senatûs Academici.

CAPUT Senatus Academici, ex Vice-Cancellario, et Collegij Præpoſito, aut, in ejus abſentiâ, Vicepræpoſito conſtet; unà cum Magiſtro Seniore non regente, qui in Collegio degat.

Capitis autem authoritas ſit hujuſmodi.

Si quæ Petitio ad Gradum offeratur, eſto in poteſtate tum Vice-Cancellarij tum Præpoſiti, tum Magiſtri Senioris non regentis, qui in Collegio degat, impedire, quominus reliquo Senatui proponatur.

Senior non Regens annuatim eligatur, Vice-Cancellario et Præpoſito proponentibus Domo Congregationis.

CAPUT 3.

De Procuratorum Officio.

PROCURATORES, ad officia ſua ſub juramento coram Vice-Cancellario ſuſcepto admiſſi, provideant imprimis, ut omnes Candidati pro Gradibus Exercitiis ſuæ Claſſis interſint: qui ſecùs fecerint ſex Denariis mulctentur: Neminem deinde præſentent Senatui Academico, ad Gradum capeſſendum, niſi quem, fide ſuâ, dignum commendabunt. Ad ipſos præterea ſpectet in Domo Congregationis ſupplicationes pro Gradibus at Senatum Academicum referre, et ſuffragia ſingulorum exquirere. Denique quicquid in ſtipendium Academiæ miniſtris pendi ſolet, ipſi Procuratores exigent; iiſque, quibus debetur, perſolvent. Eorum inſuper eſto Diſputationes Philoſophicas pro Gradibus moderari.

CAPUT 4:

De Gratiis concedendis per Academiam.

NEMINI publica Senatûs Academici gratia concedatur, niſi privatâ Gratiâ Præpoſiti et majoris partis Sociorum Seniorum, antea commendato.

In conceſſione autem Gratiæ in domo Congregationis, pars major ſemper habeat rationem totius; ac proinde quicquid majori parti placeat, omnino ratum eſto.

Quod ſi quis in ſupplicatione pro Gratiâ tribus vicibus non prævaluerit; ulterior pro illo Supplicatio ad proxima comitia deferatur.

Nemo per ſpecialem gratiam, ſive ſine Exercitiis haud male præſtitis, ad gradum promoveatur, niſi Regi à Secretis Conſiliis fuerit, aut Epiſcopus, aut Nobilis, Filiuſve Nobilis. Denique nemo exteræ alicujus Academiæ, ad eundem gradum admittatur in noſtrâ Academiâ, quem in ſuâ habet; niſi eodem gradu prius apud Cantabrigienſes

gienſes ſuſcepto: qui eadem Statuta habent, idemque tempus nobiſcum obſervant in Gradibus capeſſendis.

CAPUT 5.

De ordine obſervando in Domo Congregationis.

QUILIBET verba facturus in domo Congregationis Latino utatur Sermone. Dum aliquis loquitur, cæteri ſilentium præſtent; nec quiſquam de loco in locum migret, aut loquendi vices Seniori præripiat, aut ſæpius de eâdem materiâ interſtrepat; aut minimum contumelioſum vocabulum adverſus quemlibet effutiat; ſed quamprimum ſententiam ſuam protulerit, aliorum judicio ponderandum relinquat: quod ſi quis in præmiſſis deliquerit, a Domo Congregationis, ex arbitrio Vice-Chancellarij, pro illo die, aut ſi videbitur, pro longiori tempore excludatur.

In

In admiſſione ad ſingulos Gradus certâ verborum formulâ utatur Vice-Cancellarius.

Admiſſio ad Gradum Baccalaureatûs in Artibus fiat hâc formulâ.

IN Nomine Dei, Amen. Ego Authoritate mihi conceſſâ, admitto te ad RESPONDENDUM QUESTIONI in Artibus. In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti, Amen.

Admiſſio ad Gradum Magiſterii in Artibus, fiat hâc formulâ.

IN nomine Dei, Amen. Ego, Autoritate mihi conceſſâ, admitto te ad INCIPIENDUM in Artibus. In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti, Amen.

Admiſſio ad Gradum Baccalaureatûs in Theologiâ fiat hâc formulâ.

IN nomine Dei, Amen. Ego, Authoritate mihi conceſſâ, admitto te ad RESPONDENDUM QUÆSTIONI in Theologiâ. In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti, Amen.

Admiſ-

Admiſſio ad Gradum Doctoratûs in Theologiâ fiat hâc formulâ.

IN nomine Dei, Amen. Ego Authoritate mihi conceſſâ admitto te ad INCIPIENDUM in Theologiâ. In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti, Amen.

Admiſſio ad Gradum Baccalaureatûs in utroque Jure fiat hâc formulâ.

IN nomine Dei, Amen. Ego, Authoritate mihi conceſſâ, admitto te ad RESPONDENDUM QUESTIONI in utroque Jure, tam Civili quam Canonico. In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti, Amen.

Admiſſio ad Gradum Doctoratûs in utroque Jure fiat hâc formulâ.

IN nomine Dei, Amen. Ego, Authoritate mihi conceſſâ, admitto te ad INCIPIENDUM in utroque Jure, tam Civili quam Canonico, In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti, Amen.

Admiſ-

Admiſſio ad Gradum Baccalaureatûs in Medicinâ fiat hâc formulâ.

IN nomine Dei, Amen. Ego, Authoritate mihi conceſſâ, admitto te ad RESPONDENDUM QUESTIONI in Medicinâ. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen.

Admiſſio ad Gradum Doctoratûs in Medicinâ fiat hâc formulâ.

IN nomine Dei, Amen. Ego, Authoritate mihi conceſſâ admitto te ad INCIPIENDUM in Medicinâ. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen.

CAPUT 6.

De Exercitiis præſtandis pro Gradu Baccalaureatus in Artibus.

CANDIDATUS pro Gradu Baccalaureatûs in Artibus, bis reſpondeat, et quater opponat: Bis etiam declamet; ſemel Græcè, ſemel Latinè: Necnon tribus diebus in Aulâ

ſe ſiſtat ab horâ octavâ antemeridianâ, a Præpoſito et quolibet Socio Seniori; et totidem diebus, in Domo Regentium, a quolibet Magiſtro Artium, examinandum: quinetiam teneatur ad præſtanda Exercitia, quæ *Priorum* vocantur, ſub reali cautione viginti ſolidorum, uti quoque ad regendas Sophiſtarum Diſputationes in Aulâ, per ſpatium decem dierum, tempore Quadrageſimali.

CAPUT 7.

De Exercitiis præſtandis pro Gradu Magiſterii in Artibus.

CANDIDATUS pro Gradu Magiſterii in Artibus ſemel reſpondeat et opponat; bis autem declamet, ſemel Græcè, ſemel Latinè: tres etiam prælectiones publicè præſtet. Præleget vero Liberalium Artium eas partes, quæ illi præſcribentur a Vice-Cancellario aut Procuratore Seniore; Programmate ac Argumento prælegendo, Collegii foribus affixo, ante diem prælectionis. Siſtat etiam in Domo Regentium per unum diem ab

ab horâ octavâ antemeridianâ, ad decimam ; et ab horâ ſecundâ pomeridianâ ad quartam, a quolibet Magiſtro Artium examinandum. Antequam vero Magiſterii gradum obtinuerit, realem cautionem quadraginta Solidorum deponat, de quæſtione Philoſophicâ publicè diſputandâ, ante annum, a ſuſcepto Magiſterii gradu, elapſum ; idque reſpondente tertii Anni Baccalaureo.

CAPUT 8.

De Exercitiis præſtandis pro Gradu Baccalaureatûs et Doctoratûs in Theologiâ ; deque aliis ad eoſdem Gradus requiſitis.

NEMO Baccalaureatum in Theologicâ facultate ſuſcipiat, niſi poſt expletum ſeptennium a ſuſcepto in Artibus Magiſterio : priuſquam et gratia illius proponatur, ſemel reſpondeat, et ſemel opponentis munere perfungatur. Duas conciones habeat, unam Latinè ad Clerum, ad Populum alteram.

Nemo ad Doctoratum admittatur, nisi post expletum quinquennium a susceptο Baccalaureatu Theologico. Neque aliquis utrumque Gradum simul ambiat; aut ad Doctoratum admittatur, omisso Baccalaureatu etsi tempus requisitum ad eundem Gradum compleverit, nisi omnia Exercitia, ad utrumque Gradum respectivè requisita, prius præstiterit. Summas etiam pecuniæ pro utroque Gradû debitas, aliaque munera, pro more, unicuique sigillatim persolverit.

Antequam aliquis ad incipiendum in Theologiâ fuerit admissus, Latinè ter solenniter legat, et quodcunque velit subjectum accuratiùs tractet. Duas habeat conciones, unam Latinè ad clerum; Anglicè alteram. Semel respondeat alicui Doctori vel Professori Publico, semel opponat (nisi quod insuper in publicis comitiis pro Academiæ dignitate disputare teneatur) demum intra annum a Gradu suscepto Questionem publicè determinet sub pænâ quadraginta solidorum Academiæ solvendorum; quâ de solutione ante inaugurationem suam, hypothecam dabit Procuratori

curatori Seniori: Doctoratum ambiat nemo, qui non prius ſacrum Preſbyteratûs ordinem fuerit adeptus. Nemo vel ad Baccalaureatûs vel Doctoratûs Gradum admittatur, qui non coram Domino Pro-Cancellario, aut ejus Deputato, tribus Articulis, viz. Regii Primatûs, Liturgiæ Anglicanæ, et triginta novem Articulorum Religionis, de quibus convenerunt Archiepiſcopi et Epiſcopi Londini A. D. 1562, propriâ manu prius ſubſcripſerit.

CAPUT 9.

De Gradibus in utroque Jure capeſſendis.

NULLUS Baccalaureatum in utroque Jure conſequatur, niſi poſt expletum ſexennium ab adventu ad Academiam. Si quis Magiſter Artium ad Baccalaureatum in utroque Jure promoveri cupit, per duos annos Juris utriuſque ſtudio operam dabit; ſi quis Baccalaureus in Artibus Baccalaureatum in utroque Jure ambit, per tres Annos eidem

Studio operam det. Qui Baccalaureatum in utroque Jure vult conſequi, priuſquam pro Gratiâ ſupplicet, reſpondentis et opponentis officio in Diſputationibus Juridicis perfungatur. Porro Profeſſoris examen ſubeat, quales in utriuſque Juris-prudentiæ Studio fecerit progreſſus.

Qui ad Doctoratum in utroque Jure promoveri cupit, ſi Baccalaureatu in utroque Jure inſignitus fuerit, poſtquam in Artibus incepit, quatuor Annos integros in utroque Jure ſtudio ponat; alioquin ſi Baccalaureus in utroque Jure, antequam Magiſter in Artibus fuerit, ſex Annos integros in ſtudio Juris utriuſque ponat, priuſquam ad incipiendum in eâdem Facultate admittatur.

Idem duas utriuſvis Juris Leges a Profeſſore accipiat duabus Lectionibus interpretandas, et commentationibus exornandas, et ſibi eligat quamcunque Juris Civilis vel Canonici partem duabus aliis Lectionibus explicandam.

Reſpondentis et opponentis vices ſemel ſubeat.

CAPUT

CAPUT 10.

De Gradibus in Medicinâ capeſſendis.

AD Baccalaureatum in Medicinâ nullus admittatur, qui prius Baccalaurei in Artibus Gradum non ſuſceperit; quique triennium integrum (innumerando a die Admiſſionis ſuæ ad Baccalaureatum in Artibus) non compleverit. Qui Baccalaureatum in Medicinâ ambit, priuſquam gratiam proponat, in duabus queſtionibus Medicis ab horâ primâ pomeridianâ uſque ad horam tertiam in Aulâ Publicâ ſolenniter pro formâ ſemel reſpondeat, et ſemel opponat: duas inſuper ſolennes Lectiones totidem diebus publicè legat. Qui Doctoratum in Medicinâ ſuſcepturus eſt, poſt Gradum Baccalaurei in Medicinâ ſuſceptum, quinque Annos integros in ſtudio Medicinæ ponat, priuſquam ad incipiendum in eâdem facultate admittatur: et quatuor ſolennes Lectiones, ab horâ primâ pomeridianâ uſque ad ſecundam totidem diebus publice legat. In quibus quamcunque velit Hippocratis vel Galeni

leni partem explicet; quinetiam in duabus Quæſtionibus Medicis ab horâ primâ pomeridianâ uſque ad horam tertiam in Aulâ publicâ ſolenniter pro formâ ſemel reſpondeat et ſemel opponat.

CAPUT II.

De Die celebrandi Comitia.

PUBLICA Comitia celebranda volumus die Martis proximo poſt octavum diem Julij: Quolibet Profeſſore, tempore matutino in ſuâ facultate Prælectionem habente; niſi tunc temporis ſit diſputatio in ejus facultate quam ipſe moderari, unamque ex queſtionibus ſolenniter determinare, teneatur.

Tempore pomeridiano ſit publica Diſputatio Philoſophica in Aulâ, cujus ſenior Procurator ſit moderator; primique Anni Magiſter reſpondeat. Quâ finitâ Vice-Cancellarius, unà cum reliquo Senatu Academico, Domum Congregationis pro more adeat ad Gradus proferendos: iiſque peractis ſit deinde ad noctem Publicum Convivium Comitiale.

Supplicationum Formulæ.

Formula Supplicandi pro Gradu Magiſterii in Artibus.

SUPPLICAT Reverentiis veſtris N. N. ut tres Anni a ſuſcepto Baccalaureatûs Gradu, una cum omnibus Oppoſitionibus, Reſponſionibus, cæteriſque Exercitiis per Statuta Collegij et Academiæ conſuetudinem requiſitis, ſufficiant ei ad INCIPIENDUM in Artibus.

Pro Gradu Doctoratûs in Theologiâ.

SUPPLICAT Reverentiis veſtris N. N. ut viginti Anni in Studio Theologiæ poſiti, una cum omnibus Reſponſionibus, Oppoſitionibus, cæteriſque Exercitiis per Statuta Collegij et Academiæ conſuetudinem requiſitis, ſufficiant ei ad INCIPIENDUM in eâdem Theologiâ.

Supplicationum Formulæ, alio Modo.

Formula Supplicandi pro Gradu Baccalaureatûs in Artibus.

R. R. Vice-Cancellarie, Totaque Univerſitas, ſupplicat Reverentiis veſtris N. N. ut duodecim Termini a Matriculatione completi in Artium Studio, una cum omnibus exercitiis per leges et conſuetudines Academiæ requiſitis, ſufficiant ei ad RESPONDENDUM QUESTIONI in Artibus.

Pro Gradu Magiſterij in Artibus.

R. R. Vice-Cancellarie, Totaque Univerſitas, ſupplicat Reverentiis veſtris N. N. ut tres Anni a ſuſcepto Baccalaureatûs in Artibus Gradu completi in Artium ſtudio, una cum omnibus exercitiis per leges et conſuetudines Academiæ requiſitis, ſufficiant ei ad INCIPIENDUM in Artibus.

Pro Gradu Baccalaureatûs in S. Theologiâ.

R. R. Vice-Cancellarie, Totaque Univerſitas, ſupplicat Reverentiis veſtris N. N. ut Septem

Septem Anni, a ſuſcepto Magiſterij in Artibus Gradu, completi in Studio Theologiæ, una cum omnibus exercitiis per leges et conſuetudines Academiæ requiſitis, ſufficiant ei ad RESPONDENDUM QUÆSTIONI in Theologiâ.

Pro Gradu Doctoratûs in S. Theologia.

R. R. Vice-Cancellarie, Totaque Univerſitas, Supplicat Reverentiis veſter N. N. ut quinque Anni, a ſuſcepto Baccalaureatûs in S. Theologiâ Gradu, completi in Studio Theologiæ, una cum omnibus exercitiis per leges et conſuetudines Academiæ requiſitis, ſufficiant ei ad INCIPIENDUM in Theologiâ.

Pro Gradu Baccalaureatûs in Medicinâ.

TRIFARIAM hic Gradus peti poteſt.

I. Si Studium quis inchoaverit, ſtatim ab admiſſione in Matriculam Academiæ; tum poſt viginti et quatuor terminos completos, petendus erit.

II. Si

II. Si à Baccalaureatu in Artibus inchoaverit, tum poſt tres annos.

III. Si a Magiſterij in Artibus Gradu, tum poſt biennium.

Formula pro primo modo.

R. R. Vice-Cancellarie, Totaque Univerſitatas, ſupplicat Reverentiis veſtris N. N. ut viginti et quatuor termini a Matriculatione completi in ſtudio Medicinæ, unà cum omnibus exercitiis per leges et conſuetudines Academiæ requiſitis, ſufficiant ei ad RESPONDENDUM QUÆSTIONI in Medicinâ.

Pro Secundo modo.

UT tres Anni a Baccalaureatû in Artibus completi in Studio Medicinæ, &c. *ut ſupra.*

Pro tertio modo.

UT biennium a Magiſterij in Artibus Gradû completi in Studio Medicinæ, &c. *ut ſupra.*

Pro-

Pro Doctoratu in Medicinâ.

TRIFARIAM quoque Gradus Doctoratûs in Medicinâ peti poteſt, pro triplici ratione et modo quo Baccalaureatus petitur.

I. Sex annis completis a Baccalaureatu in eâdem Facultate, qui ſuſceptus erat poſt viginti et quatuor terminos, ſive Sexennium a matriculatione exactum.

II. Completis quinque Annis a Baccalaureatu, qui ſuſceptus erat præeunte Baccalaureatu in Artibus.

III. Quatuor Annis completis a Baccalaureatu, qui ſuſceptus erat præeunte Magiſterij in Artibus Gradu.

Formula pro primo modo.

R. R. Vice-Cancellarie, totaque univerſitas, ſupplicat Reverentiis veſtris N. N. ut ſex Anni completi a Baccalaureatu in Studio Medicinæ, qui ſuſceptus erat poſt viginti et quatuor Terminos, ſive ſexennium a Matriculatione exactum, una

cum omnibus exercitiis per leges et conſuetudines Academiæ requiſitis, ſufficiant ei ad INCIPIENDUM in Medicinâ.

Pro ſecundo modo.

UT completi quinque Anni a Baccalaureatu in ſtudio Medicinæ, qui ſuſceptus erat præeunte Baccalaureatu in Artibus, &c.

Pro tertio modo.

UT quatuor anni completi, a ſuſcepto Baccalaureatûs in Medicinâ Gradu, qui ſuſceptus erat præeunte Magiſterij in Artibus Gradu, &c.

Pro Gradibus Juris-prudentiæ et Muſicæ.

CUM Juris-prudentiæ Studium et Muſicæ, eadem prorſus tempora et eaſdem vices in Gradibus capeſſendis, quas Medicinæ Studium, obſervet; eædem pariter Supplicationum formulæ poſſunt adhiberi, mutatis mutandis.

For-

Formula Suſpenſionis nondum Graduati.

IN nomine Dei, Amen. Ego Procurator hujus Academiæ Authoritate mihi commiſſâ Suſpendo omnes Sophiſtas ab omni Gradu ſuſcipiendo. In nomine Patris, et Filij et Spiritus Sancti.

Formula Suſpenſionis Graduati.

EGO &c. Suſpendo N. N. ab omni Gradu ſuſcepto vel ſuſcipiendo. In nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti.

Formula Abſolutionis.

IN nomine Dei, Amen. Ego Procurator, &c. abſolvo te ab omni leviori negligentiâ et a ſuſpenſione nuper illatâ. In nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti.

Præſentationis Formula.

R. R. Vice-Cancellarie totaque Univerſitas, Præſento vobis hoſce meos Filios, quos ſcio tam moribus, quam doctrinâ habiles et idoneos eſſe, ut admittantur ad Gradum Magiſterij in Artibus; idque tibi Fide meâ Teſtor, ac ſpondeo, totique Academiæ.

JURAMENTA et DECLARATIO ſuſcipienda a quolibet Candidato priuſquam admittatur ad Gradum capeſſendum.

EGO A. B. ſincere PROMITTO et JURO me fidelem futurum, et veram Allegientiam Regiæ Majeſtati præſtiturum.

Ita me Deus adjuvet, &c.

EGO A. B JURO me ex corde meo abhorrere, deteſtari, et abjurare, tanquam impiam et Hæreticam, damnandam illam doctrinam et aſſertionem, quod Principes per Pontificem aut authoritatem quamlibet Sedis Romanæ excommunicati aut deprivati, poſſint per ſubditos ſuos vel quoſvis alios deponi aut trucidari.

Declaro etiam quod nullius extraneus Princeps, Perſona, Prelatus, Status, aut Potentatus habet aut habere debet ullam juriſdictionem, poteſtatem, ſuperioritatem pre-

præeminentiam vel authoritatem Eccleſiaſticam ſive Spiritualem infra hoc regnum.

Ita me Deus adjuvet &c.

Juramenta ſupraſcripta totidem verbis ab Anglicis tranſlata ſunt, Vice-Cancellario, totâque Academiâ approbante, Feb. 8, 1691.

EGO A. B. ſolenniter et ſincere coram Deo PROFITEOR, TESTOR, et DECLARO me credere nullam eſſe in Sacramento Cænæ Dominicæ, in vel poſt ejus Conſecrationem per quamcunque Perſonam, Elementorum Panis et Vini in Corpus et Sanguinem Chriſti Tranſubſtantiationem; et Invocationem et adorationem Virginis Mariæ; aut alterius cujuſvis Sancti; necnon Sacrificium Miſſæ; prout hodie in Eccleſiâ Romanâ uſurpantur, ſuperſtitioſa eſſe et idololatrica. Item ſolenniter coram Deo profiteor teſtor et declaro me DECLARATIONEM hanc, et quamlibet ejus partem facere in ſimplici et ordinario verborum mihi prælectorum ſenſu, prout communiter

muniter a Proteſtantibus intelliguntur, ſine omni evaſione, æquivocatione, aut mentali reſervatione, aut ſine omni Diſpenſatione a Pontifice aut aliâ quâvis Authoritatẽ, aut Perſonâ mihi in hanc rem jam conceſſâ; aut ſine Diſpenſatione ab ullâ Perſonâ aut authoritate, quæcunque ea ſit; aut ſine perſuaſione, quod ſim liberatus, aut poſſim liberari aut abſolvi, in conſpectu Dei vel Hominum, ab hâc Declaratione, aut ullâ ejus parte, quamvis Pontifex, aut alia quævis Perſona, aut Perſonæ, aut Poteſtas cum eâ diſpenſaret, aut irritam redderet, aut irritam ac nullam ab initio fuiſſe declararet.

FINIS.

Corrigenda.

p. 23, l. 12, poſt ſucceſſoribus, dele ,
p. 27, l. 16, pro adhunc, l. ad tunc.
p. 48, l. 22, pro nullum l. nullam.
p. 57, l. 10, pro queſtiones, l. quæſtiones.
p. 63. l. 3. pro precipiendum, l. præcipiendum.
p. 90, l. 7, pro dilinquentem, l. delinquentem.
p. 92, l. 4, pro exercicia, l. exercitia.
p. 200, l. 12, pro at, l. ad.

Tabula Expenſarum et Solutio

	Trin. Col.			Vice-Can.			Profeſſor.			Chiroth.		
	l.	*s.*	*d.*	*l.*	*s.*	*d.*	*l.*	*s.*	*d.*	*l.*	*s.*	*d.*
Artium Baccal.	01	05	00	00	02	06	00	00	00	01	07	00
——— Magiſter.	02	10	00	00	05	00	00	00	00	01	07	00
Medicinæ Baccal.	04	00	00	00	08	00	01	00	00	01	10	00
——— Doctor.	08	00	00	00	15	00	02	00	00	01	10	00
Legum Baccal.	04	00	00	00	08	00	01	00	00	01	10	00
——— Doctor.	08	00	00	00	15	00	02	00	00	01	10	00
S. Theologiæ Baccal.	05	00	00	00	10	00	01	00	00	01	10	00
——— Doctor.	10	00	00	01	00	00	02	00	00	01	10	00

Summa Totalis Expenſaru

A. B.
A. M.
M. B.
M. D.
L. L. B.
L. L. D.
B. D.
D. D.

F I

utionum pro Gradibus Academicis.

hiroth.		Procur.			Regiſtr.			Bedellus.			Janitor.			Biblioth.			Botan.		
s.	*d.*	*l.*	*s.*	*d.*	*l.*	*s.*	*d.*	*l.*	*s.*	*d.*	*l.*	*s.*	*d.*	*l.*	*s.*	*d.*	*l.*	*s.*	*d.*
07	06	01	03	00	00	02	06	00	01	00	00	01	00	00	10	00	00	15	00
07	06	02	06	00	00	05	00	00	02	06	00	02	06	01	00	00	00	00	00
10	00	01	00	00	00	04	00	00	04	00	00	04	00	01	15	00	00	00	00
10	00	02	00	00	00	08	00	00	08	00	00	08	00	03	10	00	00	00	00
10	00	01	00	00	00	04	00	00	04	00	00	04	00	01	15	00	00	00	00
10	00	02	00	00	00	08	00	00	08	00	00	08	00	03	10	00	00	00	00
10	00	01	10	00	00	05	00	00	05	00	00	05	00	02	05	00	00	00	00
10	00	03	00	00	00	10	00	00	10	00	00	10	00	04	10	00	00	00	00

ſarum pro unoquoque Gradu.

B.	05	07	06
M.	07	18	06
B.	10	05	00
D.	18	19	00
. B.	10	05	00
. D.	18	19	00
.	12	10	00
.	23	10	00

N I S.